

UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 01449218 5





Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation



28d

19

PSALTERIUM

DAVIDIS



Commentarius

PSALTERIUM

DAVIDIS

CUM

BREVI AC SUCCINCTA PARAPHRASI

EX

BELLARMINI COMMENTARIO

DEPROMPTA

—
VOLUMEN PRIMUM
—

AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

MDCCLXXX



BS

1429

B4

1880

V.1

Typographus Taurinensis

CHRISTIANO LECTORI

SALUTEM

Haud multo mihi, christiane Lector, sermone opus est ut novam praeclari huiusce Commentarioli editionem a me adornatam valde multumque tibi commendem; satis enim erit superque fontes aperire, unde haustum, quo auctore consilioque compositum, quo exitu fructuque saepius excusum fuerit et longe lateque pervulgatum. Hoc igitur quod, formam si spectes, graece anthologu-
mena, latine florilegia rectissime diceres (ut enim laetissimi flores in unum fasciculum colligantur, ita exquisitiores variorum sententiae uno hoc libro comprehenduntur), si materiam consideres, Patrum in Psalmos collectanea apposite nuncupares; quippe ex


Hilarii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque Patrum commentariis potissime coalescens. Scilicet, cum ex hisce Bellarminus tamquam ex purissimo atque uberrimo fonte plurima in suos usus derivaverit, suumque in Psalmos commentarium maximam partem confecerit; consultissime visum est piis doctisque e Societate Iesu Presbyteris, qui superiori aetate Molsheimiano Collegio in agro Argentoratensi praeerant, in commodum atque utilitatem studiosae iuventutis quae in eorum disciplina educabatur, amplioris huiusce Commentarii quemdam quasi delectum facere, nonnullisque ex recentiorum scriptis depromptis accessionibus locupletare. Quod consilium cum optime cessisset, indeque pronum esset argumentari id operis in omnium generatim fidelium aedificationem, cum primis vero in Clericorum piam sanctamque institutionem atque eruditionem redundaturum, praesentique iisdem subsidio futurum ad pleniorum Psalmorum intelligentiam et gustum assequendum; hac mente semel iterumque praelo

commissum omnium expectationi ac desiderio abunde satisfecit. Quare, cum renovata haud ita pridem in Gallia laudati Commentarioli editio, magno piarum ephemeridum plausu excepta, divenditisque pene omnibus exemplaribus absumpta, ansam et occasionem ad hanc novissimam parandam mihi praeberisset, nulli diligentiae, nullisque sumptibus peperi ut commoda, elegans, nitida, itemque parabilis, quodque rei caput est, quam emendatissima prodiret.

Nullus propterea dubito quominus rerum divinarum pietatisque in Deum studiosi meam operam et industriam aequi bonique facturi sint, mihi que ad alia atque alia his similia potioraque capessenda animos viresque addituri.

Hac spe recreatus, omnia tibi, christiane Lector, fausta a Deo atque laetissima precor. Vale.

HYACINTHUS MARIETTI





PSALTERIUM

SIVE

LIBER PSALMORUM DAVID

PSALMUS I.

Synopsis

Psalmus hic mirabili compendio comprehendit summam eorum, quae vitare, quae facere oporteat illum, qui velit evadere vere beatus, et qualis, qui observaverit illa, sit futurus: deinde a contrario, qualis impius, qui illa neglexerit, et in quantas casurus miserias. Unde nonnulli putant, hunc psalmum esse praefationem quandam in totum librum Psalmorum.

1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit. Vere beatus ille, non qui opibus, deliciis, honoribus floret, sed qui iustus*

est; ille autem iustus est, qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitae non sequitur consilia, leges, sententiam impiorum hominum, quae sunt omnino contraria viae Dei, seu legi divinae: *Et in via peccatorum non stetit*, seu rationi, et consuetudini vivendi ipsorum non inhaeret: *Et in cathedra pestilentiae non sedit*, id est, non docet alios falsa, impia, et pestilentia eorum dogmata. Quandoquidem cathedrae propriae docentium sunt, apte per *cathedram pestilentiae*, seditiosam, blasphemam, et impiam doctrinam, quae mundi pestis est, intelligimus. Designantur vero partim Athei, partim Haeretici. Ita S. Athanasius, Origen., Basil., Theodoret. et alii.

Illud hic notandum ex Bellarm. consuetudinem Davidis, et aliorum Prophetarum esse, ut id ipsum subinde bis repetant, ita ut una pars versiculi sit repetitio vel explicatio alterius: v. g. Exod. 15, in Cantico Moysis: *Iste Deus meus, et glorificabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum.* Ps. 33: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*, etc.

2. *Sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Descriptus est in primo versu homo iustus per negationem, hic per affirmationem; ac si breviter diceretur, illum esse iustum, ac per hoc beatum, qui declinat a malo, et facit bonum. Sunt hic duae partes, quarum una est fere alterius repetitio. Recte autem dicitur is esse iustus, sive beatus, cuius *voluntas est in lege Domini*: quoniam non requiritur ad iustitiam huius vitae, ut nulla in re offendamus, cum scriptum sit: *In multis offendimus omnes*, Iacob. 3, sed satis est, si ita simus affecti erga legem Domini, ut cupiamus eam omnino perficere, et si forte labimur in

aliquod peccatum, ut certe saepe labimur, id sit praeter voluntatem bonam, sive praeter charitatem, quam habemus ad Deum, et legem eius; non autem contra charitatem, per peccatum lethale. *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*: id enim est, voluntatem esse in lege, perpetuo mente exerceri in ea cogitanda, et amanda, ut quidquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Porro vox *meditabitur* referri potest ad exercitium sive vocis, sive operis. Ps. 34: *Lingua mea meditabitur iustitiam tuam*; Ps. 36: *Os iusti meditabitur iustitiam*. Poëta quoque profanus dixit: *Meditabor arundine Musam*. Idem ergo significat, ac, in lege Domini cogitanda, perficienda, docenda assidue exercebitur.

3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Declaravit Propheta, quis sit dicendus vere iustus: nunc declarat talem iustum esse beatum spe in hoc saeculo, re in futuro. Sumitur autem declaratio a similitudine arboris, quae plantata iuxta rivos aquarum habet omnia, quae in arbore felicissima requiri possunt: dum scilicet folia fructusque producit, et folia semper retinet, et omnes omnino fructus tempore suo maturos praestat. Tales arbores sunt pini, palmae, olea, quibus Scriptura iustos homines passim comparare solet. His igitur felicissimis arboribus similes esse dicit iustos homines Propheta; nam iusti *fundati*, et *radicati*, ut ait Apostolus, in *caritate*, propinqui sunt per amicitiam fonti vivo; unde humorem gratiae semper trahunt, et opera bona tempore opportuno faciunt. Ita Bellarm.

4. *Et folium eius non defluet; et omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur*. Et folia semper retinet iustus, quia accipiet iuxta verbum Apostoli

Petri *immarcescibilem gloriae coronam, et in memoria aeterna erit iustus. Et quaecunque faciet, prosperabuntur: quia opera omnia usque ad calicem aquae frigidae datam in nomine discipuli, plenam ac perfectam mercedem accipient.*

5. *Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae.* Iusti, ut dictum est, ob humoris divini copiam virent, et fructum faciunt, nec unquam virorem suum, aut laborum fructum amittunt. Contra impii divino illo humore destituti, aridi, et steriles instar levissimi pulveris a vento dispersi ne vestigium quidem sui relinquunt: nec solum omnem gloriam, opes et voluptates perdunt, sed etiam ipsi peribunt in aeternum.

6. *Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Resurgent quidem in iudicio etiam impii, et recepturi sunt corpora sua, sed quia resurgent in cruciatus aeternae mortis, resurrectio illorum non meretur nomen resurrectionis. Quoniam vero illud *non resurgent* ex hebraeo vertitur *non stabunt*, sive *non consistent*, hic sensus est: In iudicio, quando videlicet iusti cum Christo sedebunt iudices mundi, tunc impii et peccatores non stabunt, sed causa ex toto cadent, palam damnabuntur, et summa cum ignominia procul a coetu iustorum arcebuntur. Ita s. Aug., Bel-larm. et alii.

7. *Quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.* Redditur ratio, cur impii in iudicio non sint accepturi iustorum gloriam: quia videlicet via iustorum approbatur a Deo (illud *novit* enim accipitur pro notitia approbationis) qui falli non potest, ac per hoc via est recta ac perducens ad civitatem Dei; via impiorum autem non approbatur a Deo; et qui per eam ambulant, frustra

laborant, quia per eam viam non pervenitur ad optatum locum. Per *iter* ergo non intelligitur via materialis, in qua ambulatur, sed ambulatio; per ambulationem vero intelligitur cursus totius vitae, studia, labores, contentiones, quae omnia nihil impiis proderunt. Ita Theodoret. et Damascen.

Potest hic psalmus accommodari omnibus Sanctis, sed potissimum Christo, qui praeter homines et Angelos legem Dei perfectissime implevit: et tanquam lignum plantatum iuxta rivus aquarum, habens animam coniunctam hypostatice fonti vivo, qui est verbum Dei, fructus mirabiles edidit, et ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, iustificavit, magnificavit. Ita Bellarm.

PSALMUS II.

Synopsis

Vaticinium de regia potestate et imperio Christi, cui frustra se opponunt Reges, et Principes terrae; nam Deus Pater, qui Christum constituit Regem universorum, regnum ipsius modis omnibus conservabit.

Hic cum s. Hieron. observandum, Psalmistam (ut solent Prophetae) saepius mutare personas, et in modum dialogismi varios inducere loquentes, iam Deum, iam seipsum, iam hostes suos.

1. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* David in spiritu praenoscens Messiam venturum, et persecutiones multas adversus eum exorituras, et eum tamen felicissime regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum, et sensus est: frustra Gentiles et Hebraeos tum principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, et cogitavisse rationem impediendi regni eius. Res

psa in se futura erat, Propheta tamen utitur praeterito, cum eam cerneret quasi praeteritam. Nomine gentium autem intelligitur Gentiles, nomine *populorum* Hebraei, et utrumque valde proprie; Gentiles enim *fremuisse* dicuntur, quasi animantia rationis expertia, populi Iudaici *meditati esse inania*, quia ipsi consilium inierant, ut Iesum perderent.

2. *Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum eius.* Dixerat in genere gentes et populos indignatos fremuisse, et inania meditados: nunc explicat in particulari, quae sint illae gentes et populi, et adversus quem indignati sint, ac dicit: Fremitum non coepisse a plebe, sed etiam a capitibus, id est a Regibus et Principibus, qui fuerunt Herodes uterque, Pontius Pilatus, et Principes populi Iudaici. Praeterea post Christi passionem et resurrectionem semper persecutiones a Regibus, sive Imperatoribus inchoabantur, et a populis Duces suos sequentibus fovebantur. Quamvis autem fremitus et indignatio proprie contra Christum esset, non contra Deum, imo sub colore gloriae Dei, et quasi ex zelo divini honoris; tamen revera qui Christum oppugnabant, oppugnabant et Deum. Quod attinet ad verba, illud, *Astiterunt*, in hebraeo significat, sese constituerunt, id est, quasi murum statuerunt se ut resisterent Messiae. Illud vero, *Convenerunt in unum*, significat: consultaverunt, sive ad capiendum consilium convenerunt simul: quod in Evangelio Herodem et Principes Iudaeorum contra Christum fecisse legimus.

3. *Dirumpamus vincula eorum: et proiciamus a nobis iugum ipsorum.* Affert Propheta causam cur praedicti fremuerint, et convenerint adversus Christum, ne scilicet cogerentur servare legem Christi,

contrariam sensibus carnis et humanae prudentiae. Itaque verba ista dicuntur in persona Regum et Principum impiorum, quasi dicat: *Astiterunt Reges terrae, etc.*, dicentes inter se: *Dirumpamus vincula eorum, etc.*, id est, non sinamus nos subiici legibus, et imperio Messiae, et Dei, quibus nos tanquam funibus vincire volunt. Porro istae metaphorae a vinculis et iugo desumptae explicant naturam legis qualis est iudicio impiorum. Impiis enim lex Domini durissimum iugum, et laqueus lethalis videtur, cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro et lapidibus pretiosis. Ps. 18.

4. *Qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Hic demonstrat David, frustra Principes et populos laborare in oppugnanda Christi religione, quod initio etiam dixerat. Nam religio Christi a Deo est, cui nemo resistere potest. Quod autem dicit Dominum irrisurum, et subsannaturum eos, significat, eos divino iudicio per signa et prodigia, per Martyrum patientiam, per conversionem gentium, perque modos alios ita confundendos, ut omnium irrisioni, et subsannationi pateant. Id videmus impletum. Nam Sacerdotium iudaicum, et idololatricum nunc irridetur; reges quoque Gentilium, qui Ecclesiam persequebantur, omnes misere perierunt.

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.* Explicat modum, quo Deus persecutores Christi irridendos exposuit, quia nimirum locutus est ad eos, non verbis, sed verberibus, gravissimis poenis illos admonens, ut patet de Herode ab Angelo percusso, de Maximino vermibus consumpto, et aliis. Non est proprie ira et furor in Deo, sed semper cum tranquillitate iudicat: sed dicitur per metaphoram irasci, et furere; quando

severe punit, et tunc praesertim, quando ea punitio non prodest illis ad salutem aeternam; id enim facere solent, qui irascuntur, et furunt, qui non nocent ut sanent, quomodo medici faciunt, sed nocent ut noceant. Hinc David, *Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Cupiebat enim argui, et corripi, sed paterne, non hostiliter, ad salutem, non ad interitum. Ita Bellarm.

6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius.* Nunc inducit Christum loquentem, et quasi respondentem adversariis suis: Ego sum Rex ordinatus non ab hominibus sed a Deo, et ideo non timeo minas hominum; ordinatus autem sum Rex super Sion montem sanctum eius, id est, super universam Ecclesiam Dei, cuius typus, fundamentum et origo fuit in *Sion* arce Davidis, et templo Ierosolymitano. Vocatur vero *mons*, propter eminentiam et firmitatem, inquit August. Haec autem ordinatio in regem constat ex decreto Dei (praeceptum hic idem significat, ac decretum, statutum) quod ego praedicabo iam, et exponam vobis, nempe:

7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam eo ipso, quo me Pater genuit naturalem Filium suum, constituit me quoque haeredem suum universalem, et consequenter Dominum, et Regem coeli et terrae. Sunt autem tres huius loci expositiones, omnes intentae a Spiritu S., scilicet de generatione aeterna, de Incarnatione, et de Resurrectione Domini. Igitur primo *genuit me hodie*, id est, hoc momento aeternitatis (inquit S. Paul. Hebr. 1, et S. August.), hoc est, semper, ab omni aeternitate, et adhuc continuo omni instanti (nam quod ab aeterno est, semper et continuo est)

gignit me secundum divinam naturam meam, tanquam Verbum suum, et Filium naturalem. Secundo, *hodie*, id est, hoc meae Incarnationis die, *genuit* me secundum meam naturam humanam, creando illam, et naturae divinae hypostatice uniendo. Sic enim de novo produxit me hominem Deum, et Filium suum naturalem. Ita S. Paul. ad Hebr. 5. Orig. Cyril. Theod. Euthym. Tertio, *hodie*, id est, hoc die Resurrectionis meae, secundum carnem regeneravit me, dans mihi corpus impassibile, et aliis gloriosis donis ornatum. Ita idem Paul. Act. 13. S. Ambr. Hil. Chrys. et alii.

8. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*; ac si Deus Pater dicat: Quia tu, Christe, Filius meus naturalis es, et virtute mea incarnatus, et a mortuis excitatus, iure potes a me petere imperium in omnes gentes, tanquam haereditatem tuam, et omnem terram usque ad ultimos eius fines, tanquam possessionem tibi debitam. Unde constat, hunc psalmum ad litteram non de Davide (cui nunquam obtigit tam amplum imperium), sed de Messia, Davidis filio, exponendum esse. Ita SS. PP. et DD.

9. *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos*. Hic significatur potestas Christi in omnes homines summa, et iustissima, ut possit tam facile bonos remunerare, et impios suppliciis afficere, quam facile potest figulus virga ferrea confringere vasa lutea. In prior parte describitur potestas Christi ex parte virgae ferreae, id est iudicii rectissimi, inflexibilis, et cui resisti non potest: in posteriore, ex parte hominum subiectorum, qui erunt respectu Christi, sicut vasa lutea respectu figuli.

10. *Et nunc, Reges, intelligite, erudimini qui*

iudicatis terram. Hortatur nunc Propheta Reges terrae, a quibus populi dependent, ut quandoquidem frustra nituntur resistere Christo, vero et supremo Regi omnium Regum, sponte illi subiiciantur: et quia ordinarie ex pravo iudicio sequitur pravius affectus, primo hortatur, ut corrigant iudicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant. Deinde hortatur, ut corrigant pravum affectum, et pro odio erga Christum incipiant illi servire, eumque diligere, et revereri, ideo subiungit:

11. *Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore.* Mire miscuit amorem cum timore, ac si diceret: Timete cum amore, et amate cum timore; nam servire est proprium servorum timentium: illud autem in timore significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem. Sensus igitur est: Servite quidem Domino, sed servitute liberali, instar amantis et exultantis filii.

12. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.* Sensus est: Apprehendite disciplinam, sive instructionem, doctrinam, et directionem Messiae, illique subiace, et obedite, nequando irascatur in impios, et rebelles, vos pereatis, sive exterminemini de via iustitiae. Et haec est poena gravissima Principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum sensum, ut dicitur Rom. 1, et permittit, ut decipiantur a malis consiliariis, et faciant multa mala, ob quae tandem pereunt in hac et in altera vita, ut disputat S. Aug., l. 3. c. 3. in Iulianum.

13. *Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* Haec est conclusio totius psalmi, in qua Psaltes praenunciat, ex dictis posse colligi, quam bonum et utile sit, diligere Dominum, et illi toto corde servire; soli enim qui eiusmodi

fuerint, in die ultimi iudicii, quod non longe abesse potest (cito enim venturus est dies ille terribilis, nam mille anni sicut dies hesternae, quae praeteriit, nec longum dici potest, quod finem habet), fiduciam habere poterunt. Dicitur autem: *beati qui confidunt*, non quod solum fiducia sufficiat, sed quia vera fiducia oritur ex vera amicitia.

PSALMUS III.

Synopsis

David fugiens a facie Absalom filii sui, 2. Reg. 15. v. 14. excitat in se spem divini auxilii, nunquam sibi defuturi. Allegorice convenit Christo patienti, cuius David figura fuit, tropologice cuius iusto diabolum et persecutores fugienti. Ita Athanas.

1. *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.* Queritur David et miratur, colloquens oratione cum Deo, de multitudine persecutorum suorum. Nam, ut habetur II. Reg. 15., universus Israël toto corde sequebatur Absalonem. Idem Christo accidisse, notum est ex Evangelio, praesertim tempore passionis: et sicut in persecutione Absalonis, Achitophel, intimus consiliarius et familiaris David, prodidit eum, et postea se ipse suspendio enecuit, II. Reg. 17, 23; ita in passione Christi Judas, unus ex intimis familiaribus, prodidit eum, et laqueo se suspendit.

Multi dicunt animae meae: Non est salus ipsi in Deo eius. Videtur hoc referendum ad internas tentationes, quod daemones suggerent illi intus in animo cogitationes diffidentiae, quasi frustra in Domino confidisset. Potest etiam referri ad sermones homi-

num, qui ex hoc infortunio iudicabant, Davidem a Deo derelictum, in quo quidem confidere solitus esset. Est enim hoc fere ordinarium; ut imperfecti existiment, viros bonos in gravi aerumna constitutos frustra sperasse in Deo. Sic Iob uxor eius dicebat: *Adhuc permanes in simplicitate tua?* Iob 2. 9. Sic Tobiae uxor quoque dicebat: *Manifeste vana facta est spes tua*, etc. Tob. 2, 22. Sic denique de Christo dicebant: *Confidit in Deo: liberet eum, si vult*. Matth. 27. 43.

3. *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum*. Sensus est: Multi mihi dicunt frustra me confidisse in Deo, sed falluntur omnes; nam tu, Domine, non deseris sperantes in te: ideo *susceptor meus es*, id est, suscepisti me protegendum contra omnia hostium tela: nec solum me defendis, sed etiam glorificas, ideo es etiam *gloria mea*, id est, causa gloriae meae. Atque ex his fit, ut *sis exaltans caput meum*, id est, laetificans me, ut qui prae moerore demisso capite incedebam: nunc exultans caput attollam. Haec vera esse docent exempla non solum Christi et Davidis, sed etiam Ioseph, Iob, Tobiae, Danielis et aliorum.

4. *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo*. Probat exemplo suo, quod supra dixerat: nam saepe, inquit, alias afflictus, clamavi ad Dominum, et semper exaudivit me submittendo mihi auxilium. Circa verba notandum illud: *Voce mea clamavi* habere emphasim ad exprimendum affectum: non oravit demissa voce, sed clamavit, et clamavit voce sua, id est, non per alium, sed per se, non solum spiritu, sed etiam corporali voce. Illud autem *de monte sancto suo*, significare potest montem Sion, ubi erat arca Domini, in quo pecu-

liari modo praesentia Domini residebat, et unde responsa dabat: vel etiam coelum et sublimem thronum gloriae suae; ut exponit s. Athanasius.

5. *Ego dormivi, et soporatus sum: et exurrexi, quia Dominus suscepit me.* David in illa persecutione dicit: *Ego dormivi*, seu iacui dormiturus, id est, declinavi, fugi, non restiti, et sic iacui quasi oppressus: *et soporatus sum*, id est, ita derelictus, quasi mortuus essem; unde Absalom potitus est regno, ac si rex mortuus fuisset: *et exurrexi*, id est, paulo post recepi animum, et resistere coepi, quoniam Dominus sustentavit me. Sed longe significantius haec omnia Christo conveniunt, qui perfunctus somno mortis in cruce, paulo post surrexit a mortuis, non fretus ullo humano auxilio, sed innixus potentia infinita divinitatis. Ita Orig. Euseb. Didym. et alii.

Non timebo millia populi circumdantis me: Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. Dixerat ante David se exurrexisse, quando recepit animum, et paravit se ad resistendum inimicis: ideo nunc dicit, non timere se populum illum innumerabilem, quia in Deo confidit, non in suis viribus: ac propterea rogat Deum, ut exurgat, et salvum se faciat de manibus hostium. Dicitur autem Deus per metaphoram exurgere, quando incipit iuvare, quemadmodum dicitur dormire, quando non iuvat. *Exurge*, inquit alio loco, *Quare obdormis, Domine?* Christo haec omnia accommodantur rectissime non ratione capitis, sed ratione corporis, id est, Christus haec dicit post resurrectionem non pro persona sua, sed pro corpore suo, quod est Ecclesia, quae in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes vicit.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi

sine causa, dentes peccatorum contrivisti. Rogatur Deus sive a Davide pro se, sive a Christo pro Ecclesia sua, ut pugnet adversus hostes, quoniam semper alias id fecerit, nimirum percusserit omnes inimicos piorum, qui hos sine causa persequuntur, atque eorum dentes confregerit, et effecerit, ut latrare, ac terrere solum, non autem mordere, vel nocere potuerint: quamvis enim aliquando iusti videantur ab impiis premi, tandem tamen omnia cooperantur in bonum, et impii persecutionis suae poenas luunt.

8. *Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.* Concluditur psalmus per invocationem et laudem Dei, quasi dicat: Ex dictis concludere possumus, Domini esse salutem, et illi acceptam esse referendam; quae salus est benedictio tua, Domine, super populum tuum; nam benedicere DEI est benefacere.

PSALMUS IV.

Synopsis

Hortatur hoc psalmo David tum socios suos, qui fugientem a facie Absalom comitabantur, tum alios omnes, ut Deum ex animo colant, et ab eo pacem et rerum omnium copiam sperent. Allegorice canit in persona Christi, et Ecclesiae, quae peccatores monet, ut convertantur, et fiduciam ponant in Domino, declinent a malo, et faciant bonum.

Hic notandum est, quod huic psalmo in scripturis praefigatur iste titulus: *In finem in carminibus*, quo iuxta Bellarm. significatur, hunc psalmum esse canendum usque in finem, id est, perpetuo, sive frequentissime, quod signum est, psalmum esse unum ex utilioribus. Illud *in carminibus*, vel hymnis significat

ex hebraeo in pulsatione instrumentorum musicorum. Itaque aensus est: *Psalmus David* inter hymnos canendus perpetuo. Id quod etiam dicendum est de aliis eodem titulo inscriptis.

1. *Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae: in tribulatione dilatasti mihi.* Subintelligitur cor vel animum. Incipit David ab exemplo suo, dicens: Ego, cum invocarem Deum tempore tribulationis exauditus sum: *Exaudivit enim me Deus iustitiae meae*, sive Deus, a quo est omnis mea iustitia, id est, huius gratia me iustum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus, dicens Deo: *in tribulatione dilatasti mihi.* Deus aliquando exaudit removendo tribulationem; aliquando dando patientiae virtutem; aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando: et hoc est beneficium maximum, atque de hoc loquitur. Tribulatio angustias facit, gaudium dilatat corda; sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, et tribulatio ei non angustias, sed dilatationem affert, quae ex illapsu Dei in cor tribulati venit. Itaque sensus est: Cum invocarem Deum tribulatione pressus, exaudivit me; quod inde scio, quia tu, Domine, cordi meo dulcissimam tuam praesentiam exhibens, miro modo angustias tribulationis vertis in latitudinem laetitiae.

2. *Miserere mei, et exaudi orationem meam.* Postulat continuationem gratiae, ac si dicat: Ita, Domine, semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti. Novit nimirum s. propheta, nos in hac vita semper obnoxios esse periculis, nisi misericordia eius non solum praeveniat, sed etiam commitetur, et subsequatur.

3. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Increpat persecutores suos ob vana et fallacia consilia.

ut Athan. et Theodoretus volunt, vel potius quovis bonorum temporalium sectatores, ut alii, et sensus est: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* id est, quamdiu habetis cor lapideum, durum, ad terram inclinatum, non cogitantes nisi bona terrena? Porro, quia corda dura non recipiunt supernas cogitationes, sed solum terrenas, et transitorias, ideo non diligunt nisi terrena, et transitoria; et quoniam ea solum diligenter quaerimus, quae diligimus, ideo subiungit: *ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Dicuntur autem bona terrena vana et falsa, quia nec solida sunt, nec stabilia, quamvis talia esse videantur, et propterea merito falsa et fallacia dicuntur, praesertim si comparentur ad aeterna.

4. *Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.* Id est, mirum, atque omnibus admirandum praestitit Dominus Davidem suum, a se toties sanctificatum, et unctum in regem, ac prophetam, nempe singulari ope, protectione, ac favore, quo illum semper complexus, ac tutatus est, fecit, ut stupori esset omnibus. Nec vero iam deseret illum, maxime *cum clamavero ad eum*, et humillime precibus opem poposcero. Ita Tirinus. Bellarminus autem sic exponit: Haec, inquit, est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhaerere temporalibus, quia videlicet ad nos de coelo venit Sanctus Domini, sive Filius Dei, qui solus inter omnes homines impeccabilis est. Illic autem sanctus, temporalia despiciens, et sempiterna praedicans, hoc novo itinere gradiens, ad summam felicitatem pervenit: et quia ille Dux noster est, sine dubio, si per vestigia eius ambulamus, ad veram et sempiternam felicitatem perveniemus. Scitote igitur, quia

Dominus Deus Sanctum suum Christum, quia temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit. Et quoniam non solum Dux noster est, sed etiam advocatus et mediator, subiungit David: *Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum*, id est, nunc potissimum certo confido me semper exaudiendum, cum sciam esse in dextera Dei advocatum et mediatorem, qui interpellat pro nobis.

5. *Irascimini, et nolite peccare: quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Dicit David adversariis: Sic iram vestram, quam in me iustam (ut putatis) acuitis, regite, ut in Deum et iustitiam non peccetis. Optima vero ratio discernendi, iustane sit ira, an iniusta fuerit, si, *quae dicitis in cordibus vestris*, seu quae animo volvitis, non statim in opus deducatis, aut consentiatis, sed ante *in cubilibus vestris*, cum iam soli et quieti estis, et primus irarum impetus atque aestus deferbuit, maturo consilio, et corde amore divino compuncto diligenter expendatis. Ita Tirinus. Bellarminus vero ait: Post increpationem gravissimam et admonitionem, ut respiscant filii hominum, sic instruit eos Spiritus s. quid agere debeant, ac docet, ut sancta quadam iracundia exardescant, et resistent pravis desideriis, et eo modo peccatum vitent: quod si forte peccaverint, continuo doleant, et compungantur. Neque contenti sint declinare a malo, sed etiam sacrificent sacrificium iustitiae faciendo bonum. *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare*, id est, cum surgunt pravi, et rebelles motus, qui sunt initia et radices omnium peccatorum, irascimini naturae vestrae corruptae, et resistite, ita ut non peccetis. *Quae dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris* de his compungimini. Id est, tempore nocturno, cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis cu-

ris, tunc in cordibus vestris cogitate omnia errata vestra, et quae dicitis, et confitemini apud vos in corde, de his coram Deo compungimini. Caeterum Davidem solitum fuisse, in cubilibus recogitare peccata, propter opportunitatem secreti et silentii, colligi potest ex illis verbis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.*

6. *Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Additur iam altera pars iustitiae, videlicet, ut non solum declinent a malo, sed etiam faciant bonum; vocantur opera bona *sacrificium*, quia Deo valde placent, eidemque grata sunt instar optimi sacrificii. Ita s. Chrys. Subiungit autem propheta: *et sperate in Domino*, ad tollendam praesumptionem, quae bonis operibus insidiatur. Bene operari nos oportet, sed ita tamen, ut non superbe confidamus de operibus nostris, ut fecit ille Pharisaeus in Evangelio: sed in Domino speremus, qui dabit peccata vitare, bona opera facere, et ad portum salutis pervenire. *Multi dicunt, etc.*, occurrit vulgari hominum carnalium obiectioni: id est, cum praedicamus contemptum bonorum temporalium, atque ad iustitiam hortamur, *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona*, si haec quae videmus et tangimus, bona non sunt? vel potest etiam per illud, *bona* intelligi iustitia et probitas: quia enim dixerat *sacrificium iustitiae*, obiiciunt improbi, quid est haec iustitia? quis nobis ostendit viam iustitiae?

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti laetitiam in corde meo.* Respondet psaltes, viam iustitiae nobis a Deo demonstratam esse, et nos habere magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, *lumen* videlicet rationis na-

turalis; hoc enim lumen *signatum est*, et impressum *super nos*, id est, in superiore parte hominis, qua ratiocinamur, et sapimus, hoc *lumen* derivatum est a *vultu* Dei, quia id nos facit esse ad imaginem et similitudinem Dei, et ex hoc *lumine* possumus intelligere viam iustitiae. Lex enim naturalis scripta in corde, docet non faciendum quod nobis ab aliis fieri nolumus, proinde non furandum, etc. Possumus etiam intelligere adiuti gratia Dei, nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad Deum; bonum quippe imaginis est, quamsimillimam esse exemplari. Ex hac autem cogitatione existit in voluntate ingens laetitia, spes et amor erga Deum. Quia vero non omnes hoc experiuntur, ideo David non ait, *dedisti laetitiam in cordibus eorum*, sed, *dedisti laetitiam in corde meo* Quod idem omnes iusti et pii dicere possunt.

Hactenus fere Bellarm. Ob connexionem autem cum prioribus versibus (in quibus David etiam ad hostes suos loquitur) *ÿ. 6 et 7*, sic explicant Le Blanc et alii: *Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino; vos inimici mei irascimini, et multa cogitatis in cordibus vestris contra me: sed frustra, cum erga me innocentem sitis iniusti, persequendo et quaerendo ad mortem. Iustitiam exercete, mihi ablatum honorem, familiam, quietem, caeteraque restituite. Hoc sacrificium in odorem suavitatis acceptabit Deus, et tunc ab ipso, quae petetis obtinebitis. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Plurimi tum ex hostibus meis, tum ex militibus mihi adhaerentibus importune identidem mihi obtrudunt: Quis tibi, o David, et amicis tuis opem affert, teque ex tot periculis explicatum bonis cumulabit? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti laetitiam in corde meo.* His ego

respondeo: Deus benigno vultu nos intuetur, ac nobis favet, quod variis signis declaravit; mihi que afflicto licet, laetitiam interiorum affudit, nubes illas omnes excutiet. Ita illi.

8. *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.* Id est, aucti sunt, sive creverunt in bonis temporalibus ob illorum trium praecipue fructuum abundantiam. Sic addidit propheta aliud argumentum, ex quo possunt homines intelligere Deum esse auctorem omnium honorum, quia videlicet ipse est, qui temporibus suis multiplicat fruges, et producit fructus omnes.

9. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Concludit psalmum David, dicens: Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquirere volo. Ego, inquit, in pace, id est, cum tranquillitate animi, *in idipsum*, id est, pariter, simul *dormiam et requiescam*, id est securus cubabo ad dormiendum, et reipsa quietissime dormiam. Possunt etiam haec referri ad futuram requiem in coelo; tunc enim vere summa pax erit ex unione cum Deo, et summa ac verissima requies.

10. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Dat causam, cur velit in Deum proicere omnem curam, sive cur in futuro saeculo in pace dormiturum, et quieturum se dixerit. Ratio enim est, quoniam Deus verissimis et fidelissimis suis promissionibus eum in sola spe constituerit, id est habitare fecerit; itaque vir iustus et amicus Dei in sola spe divina habitat, tanquam in tutissima domo, et ideo non confunditur, securus requiescet in saeculo futuro.

Hos tres ultimos versus Le Blanc in paraphrasi prioribus sic annectit: *A fructu frumenti, vini et*

olei sui multiplicati sunt. Hostes mei, inquit David, frumento, vino, oleo, aliisque rebus terrenis quibus adhaerent, abundant, ideoque feliciores me esse sese iactitant. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Ego vero pacem et tranquillitatem brevi obtinendo, in ea simul cum sociis meis laborum consortibus, securum somnum et quietem capiam. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Deus enim animo meo hanc spem indidit, in qua velut in arce tutissima collocatus, tempus liberationi et exaltationi meae praefixum expectabo.

PSALMUS V.

Synopsis

In sacris paginis isti psalmo praemittitur hic titulus: In finem pro ea, quae haereditatem consequitur, Psalmus David. Hic psalmus igitur compositus est in persona Ecclesiae, quae haereditatem salutis aeternae quotidie in suis membris consequitur, et in fine mundi tota consequetur; vel etiam in persona animae iustae quae coelestem haereditatem consequitur, pro qua hic luctatur. Ita Chrysostomus et Augustinus.

1. *Verba mea auribus percipe, Domine; intellige clamorem meum.*

2. *Intende voci orationis meae, rex meus et Deus meus.* Tribus modis fieri potest, ut aliquis non audiatur ab alio: vel quia ille non percipit sonum verborum, vel quia non percipit significationem eorundem verborum, vel quia non attendit, intentus aliis rebus. Deus quidem omnia percipit, et intelligit, et semper attendit; sed dicitur aliquando non perci-

pere, vel non intelligere, vel non attendere, quia sic orantem contemnit, ac si non perciperet, vel non intelligeret, vel non attenderet. Ideo s. propheta oraturus Deum, initio postulat, ut Deus *percipiat, intelligat et attendat*. Porro Deus orantem contemnit, quasi non perciperet sonum verborum, quando is, qui orat, ita distrahitur, ut nec ipse verba sua percipiat, vel ita frigide orat, ut oratio sursum ascendere non possit. Tunc vero Deus ita se habet, ac si non intelligeret quid petatur, quando is qui orat, nescit quid petat, petens ea, quae sibi non sunt utilia, etiamsi attente et ferventer oret. Tunc denique Deus, similis est non attendenti, quando orans non est dignus qui audiatur, vel quod sine debita humilitate, fiducia aliisque debitis circumstantiis oret, vel quod sit peccator, et de poenitentia nondum cogitare inceperit. Propheta igitur, a Spiritu sancto edoctus, orat Deum pro dono bene orandi, videlicet, ut detur ei sic orare, ut opus est ad hoc, ut Deus non repellat orationem, sed percipiat sonum, intelligat clamorem, et intendat orationi. Addit autem *Rex meus*, ut facilius impetret. Solet enim bonus rex audire populum suum. Adiungit vero *et Deus meus*, ut ostendat, se non solum esse populum Dei, quasi regis, sed etiam creaturam eius, et in omnibus ab eo pendere, et sine eo nihil posse.

3. *Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.* Reddit rationem, cur petierit audiri a Domino, *quoniam*, inquit, *ad te orabo*, id est, quia studium meum praecipuum futurum est oratio, ideo tam sollicitus sum de auditione. Et quia studium orationis mihi non tantum est praecipuum sed etiam primum, ideo summo mane antequam ullum aliud opus aggrediar, tu, Domine, audies vocem meam: nulli enim loquar antequam tibi.

4. *Mane astabo tibi et videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Nec orabo tantum mane, sed etiam astabo tibi, id est, conabor me praesentem tibi exhibere: et videbo, sive contemplantor (id enim sonat vox hebraea) in illo silentio matutino. Materia vero praecipua meae contemplationis erit considerare, nihil te magis odisse, quam peccatum: et ideo, si tibi placere volo, iniquitatem odio habendam, et iustitiam mihi sectandam esse.*

5. *Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Non solum Deus non vult iniquitatem, sed neque vult homines iniquos: ideo non *habitabit, inquit, iuxta te malignus*, id est, non propinquabit tibi iure amicitiae: *neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*, id est, non diu respicies oculo clementiae iniustos. Nunc enim respicit Deus etiam iniustos oculo clementiae, eis concedendo multa bona temporalia; sed hoc non diu durabit, brevi enim proiciet illos a facie sua in aeternum interitum.

6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.* 7. *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Non solum Deus non vult iniquitatem, nec solum non vult amicitiam cum iniquis, sed illos odit et perdet: et quoniam iniquitates committuntur opere, verbo, cogitatione, sive desiderio; ideo singula psaltes enumerat: 1° *operantes iniquitatem*; 2° *loquentes mendacium*, quod de pernicioso intelligitur; 3° *virum sanguinum*, id est, crudelem, sanguinis appetentem, et *dolosum*, qui dolos meditatur et struit.

8. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Dixerat propheta matutino tempore se contemplaturum, quantopere Deus

peccatum , et peccatores aversetur. Exponit nunc fructum contemplationis, et dicit: *Ego autem in multitudine misericordiae tuae* , id est confisus in multa misericordia tua, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, *introibo in domum tuam*: quae est domus orationis, et *adorabo ad templum sanctum tuum* , id est, prosternar coram tabernaculo tuo, *in timore tuo* , timens ac tremens implorabo auxilium tuum.

9. *Domine, deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.* Haec iam est oratio, qua orat in domo Dei, videlicet, ut Deus eum deducat in iustitia sua, id est, ut eum ducat per semitas iustitiae, faciendo illum implere omnia mandata divina, et sic vitare omnia peccata, et quod idem est, dirigat in conspectu suo viam eius, id est, faciat eum ambulare per viam rectam, Deum semper prae oculis habendo. Id vero potissimum orat *propter inimicos*, sive (ut habetur in hebraeo) propter insidiatores suos; necessarium enim est divinum auxilium dirigens, et protegens, praeveniens, et subsequens propter multitudinem hostium, qui nobis insidiantur et ad peccata pertrahere conantur, sive ii daemones sint, sive homines terrentes, vel allicientes.

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.* 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Reddit rationem, cur velit auxilium contra inimicos insidiantes, quia videlicet illi nihil intendunt, nisi decipere, et difficile est, insidias eorum vitare. *Non est, inquit, in ore eorum veritas*, quia si terrent, decipiunt, persuadentes fugam exigui mali, ut inducant in maximum malum: si alliciunt, decipiunt persuadentes prosecutionem exigui boni, ut adducant iacturam

summi boni; *cor eorum vanum est*, intus et extra perversi sunt: non sapiunt, nec appetunt nisi vana, ideo non possunt loqui nisi vana. Idem autem repetit in versu sequenti, sed ordine mutato. Nam quod dixerat, *non est in ore eorum veritas*, repetit dicens: *linguis suis dolose agebant*. Itaque cum dicitur *guttur sepulcrum patens*, significatur, guttur, seu os et linguam, quae sunt instrumenta loquendi, esse quasi os sepulcri, interiora vero sepulcri esse animam, sive cor, ubi sunt desideria, et cogitationes horridae, et foetentes, quasi cadavera putrefacta, unde exhalat foetor verborum mortiferorum. Et ideo addit, *linguis suis dolose agebant*, hoc est, non solum falsa dicunt inimici mei, quia non est in ore eorum veritas, sed etiam dolosa, quia sub specie boni persuadent mala.

12. *Iudica illos, Deus, decidant a cogitationibus suis: secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Est potius prophetia quam imprecatio; significat enim fore, ut inimici iustorum non solum non admittantur ad haereditatem, de qua in titulo psalmi, sed condemnentur ad aeternas poenas, et nihil obtineant eorum, quae moliuntur. *Iudica illos*, id est, iudicabis, vel, ut significantius habent hebraea, condemnabis illos: *decidant a cogitationibus suis*, id est, frustrabuntur spe sua, qua sperabant se subvertere posse electos. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*, id est, pro meritis suis expellentur ab haereditate in tenebras aeternas: *Quoniam irritaverunt te Domine*, id est, quia dum hominibus se nocere existimarunt, non homines offenderunt, sed Deum.

13. *Et laetentur omnes, qui sperant in te; in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.* 14. *Et gloria-*

buntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices iusto. 15. Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos. Hic praedicat felicissimam haereditatem electorum, quibus titulus psalmi eam promiserat. Ac primo invitat iustos ad laetitiam ob spem futurorum. *Laetentur omnes qui sperant in te*, id est, etsi nunc in labore certaminis iusti reperiantur, tamen laetentur in spe, quia tempore suo *in aeternum exultabunt*, laudantes Deum, *qui habitabit in eis*. Haec autem exultatio et laus, quasi exterior, nascetur ex interna immensa laetitia et gloria. Nam *gloriabuntur in te*, O DEUS, omnes, *qui diligunt nomen tuum*, id est, omnes vere iusti. Charitas enim est, quae iustos, et amicos, et filios Dei facit. *Gloriabuntur autem, quoniam tu benedices iusto*, id est unicuique iusto benedices, et benedicendo benefacies, reddendo ei coronam gloriae, quam meretur. Et quoniam radix omnium honorum est benevolentia Dei, cum ex illa procedat vocatio, iustificatio, merita, et ipsa glorificatio; ideo concludit, *Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*. Id est: Confiteor tibi, Domine, omnia nostra bona inde manare, quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, et undique protegit, ut scutum protegere solet milites.

PSALMUS VI.

Synopsis

Est oratio peccatoris timentis divinum iudicium, et ad reconciliationem suspirantis. Porro titulus huius psalmi est: In finem in carminibus. Psalmus David, pro octava, id est: in octachordo (est genus cytharæ habentis octo chordas) canendus de illo: in finem etc. iam supra diximus.

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Petitio est hæc vere poenitentis. Tunc autem *arguit* Deus sive accusat, et *corripit* peccatorem *in ira et in furore*, quando non castigat, ut salvet ex amore paterno; sed castigat, ut perdat, ac iustitiæ satisfiat. Quod facit in hac vita, quando percutit caecitate et obstinatione, ut sit peccatum poena peccati: in alia vero quando perdit in gehennam. Hic igitur concussus horrore, et timens abyssum iudiciorum Dei, non recusat flagellum poenarum, quæ non separant a Deo, sed compellunt ad Deum: sed horret malum illud super omne vere horrendum, id est, tradi in desideria cordis sui, obdurari et excaecari, et sic æternum a Deo separari. Porro, *ira et furor*, hoc loco pro eodem accipiuntur, sicut etiam *argui et corripit*: est enim (ut supra notavimus) familiare prophetis idipsum repetere, explicandi vel inculcandi gratia.

2. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Ad permovendum Deum, ut non in furore arguat, adducit poenitens David aliquot argumenta: ac primum sumit ab infirmitate sua, quasi dicat: non respicias, Domine, peccata ut offensas tuas, sed ut miserias ac aegritudines meas: proinde non

pumas ut iudex, sed cures ut medicus, ure et seca, si opus est; sed ex misericordia ad sanandum, non ex iustitia ad perdendum. Dicit ergo, *Miserere mei, quoniam infirmus sum*, id est, respice misericorditer peccata mea ut aegritudines et morbos animae meae, quae me debilem et imbecillum reddiderunt. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*; idem repetit aliis verbis. Deus enim, cum miseretur, miseriam tollit et proinde sanat. Idem quoque est, *quoniam infirmus sum*, et *quoniam conturbata sunt ossa mea*. Per ossa enim significatur robur ac fortitudo, et tunc dicuntur ossa conturbari, quando fortitudo nutat, et robur frangitur, ac debilitatur.

3. *Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?* Alterum argumentum ducit a cognitione proprii peccati, et dicit: Non solum miser sum, sed etiam miseriam meam agnosco, ac propterea *anima mea* se tam deformem, et miseram aspiciens, et horrens *turbata est valde*, et conterrita salubriter impatiens efficitur, et clamat: *sed tu, Domine, usquequo* non misereris, non sanas? Habet vero magnam emphasisim illud, *usquequo*, sine alio verbo. Significat enim prolatum esse ab anima turbata, et non valente integrum formare sensum.

4. *Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.* Hoc est argumentum tertium, quod a misericordia Dei sumitur. *Convertere*, inquit, id est, respice me, nam respectus Dei est causa omnium bonorum nostrorum; *et eripe animam meam*, id est, educ de fovea, in quam incidit, erue de laqueo venantium, quo capta et irretita tenetur; eripe de manibus inimicorum, quibus tradita est propter peccatum. *Salvum*

me fac, id est, libera ab imminente damnatione, nam proprie salvare est liberare a mortis periculo. Notandus est hic ordo: 1° Deus convertitur ad nos respiciendo gratia sua; 2° nos convertimur ad illum, et sic anima eruitur a culpa; 3° liberati a culpa, salvamur e periculo damnationis. Hoc autem totum fit per misericordiam Dei, ideo addit, *propter misericordiam tuam*, quasi dicat: audeo petere tam ingens donum; non quia dignus sum, sed quia tu infinite misericors es.

5. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Est hoc argumentum quartum a gloria Dei desumptum. Peto, inquit, non argui in furore; quia, si ita fieret, ad mortem aeternam sine dubio damnarer, et sic periret ex parte memoria tui et laus tua. Damnati enim ad gehennam non recordantur Dei, ut eum laudent: neque ullus est in inferno, qui confiteatur Domino, id est, laudet Dominum confitendo eius beneficia et mirabilia.

6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quintum argumentum ducit propheta a fructibus dignis poenitentiae. Dicit igitur, se non solum intelligere et detestari peccatum suum, sed etiam pro viribus punire et puniturum. *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo*, id est, tam ingenti fletu peccata mea deploravi, ut fatigatus sim: nec tamen adhuc cesso, nam *lavabo per singulas noctes lectum meum*, id est, singulis noctibus vice somni et quietis ubertim peccata deslebo, *et lacrymis stratum rigabo*. In hoc speculo intueri se deberent, qui plurima et gravissima peccata commiserunt, et vix paucas lacrymarum guttas emittunt.

.. *Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi*

inter omnes inimicos meos. Pertinet haec ad effectum indicandum maximae illius profusionis lacrymarum. In hebraeo pro *turbatus est*, habetur *caligavit* seu *corrosus est oculus meus*. Sensus igitur est: Oculus meus caligavit prae fletu, propter *furorem* et indignationem, quam concepi ex eo, quod tamdiu in peccatis haeserim, *ut inveteraverim inter omnes inimicos meos*, quasi dicat: Non possum non vehementer mihi ipse indignari quod nullum vitium adhuc perfecte vicerim, nullumque hostem animae meae perfecte debellaverim, sed consenuerim inter omnes hostes meos. Vocat autem hostes, omnes qui eum ad peccandum impulerunt, sive daemones, sive homines, sive ipsa vitia et habitus malos.

8. *Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Quia tam graviter ferebat se consenuisse inter hostes, ideo prorumpit in hanc vocem: *Discedite a me*, id est, nolo amplius consortium vestrum, non ultra acquiescam tentationibus vestris, fretus divino auxilio, *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, id est, quia Dominus misericordia motus ob lacrymas meas, non solum peccata dimisit, sed etiam virtutem auxit resistendi vobis.

9. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.* Explicat quod dixerat, se exauditum, et idem saepius repetit ad significandum certitudinem exauditionis; et ut ipse sibi hoc modo animum adderet ad resistendum tentationibus.

10. *Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur et erubescant valde velociter.* Concludit optans finem totalem bellorum spiritualium, *erubescant et conturbentur*, quia nihil profecerunt, sed in vanum laboraverunt. *Conver-*

tantur in locum suum, unde venerunt, et erubescant, id est, confusi discedant, velociter, quia nimirum nolo differre vitae mutationem, sed ex hac hora, ex hoc momento aggredior viam Domini rectam et perfectam. Potest etiam iuxta Bellarminum haec conclusio esse oratio pro conversione eorum hominum, qui vel persequendo, vel alliciendo causa peccandi illi fuerunt. Optat enim, et orat, ut illi erubescant et conturbentur per veram cognitionem et detestationem peccati, et sic ipsi quoque ad Deum velociter convertantur. Potest denique esse imprecatio implenda in die iudicii: tunc enim vere omnes impii, sive daemones, sive homines confundentur, et convertentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter, tunc enim dicent: Ergo erravimus a via veritatis, etc.

PSALMUS VII.

Synopsis

David refellit calumniam cuiusdam filii Iemini, sic enim est titulus huius Psalmi: Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Iemini. Quis autem Chus iste fuerit, non adeo certum est. S. Hier. existimat intelligendum esse de Saule, qui L. 1. Reg., c. 22, coram servis suis dixit: Non est, qui vicem meam doleat, eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversus me insidiantem mihi usque hodie. Hanc igitur calumniam hic refutat David iuxta Hier., vel potes aequè probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalomis II. Reg. 16. Egredere, vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, etc. Videtur igitur psalmus hic scriptus esse

tempore persecutionis Absalom ob verba maledictionis Semei, vel tempore persecutionis Saul, ob verba supradicta. Prophetice autem David gerit personam Christi, et cuiuscumque rusti calumniam sustinentis.

1. *Domine Deus meus, in te speravi; saluum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.* Quia pene omnes deseruerunt me, *in te, inquit, speravi, Domine, non habeo cui fidam, nisi te Deum meum. Saluum me fac ex omnibus persequentibus me;* multi enim eum persequabantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello et armis.

2. *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Respicit ad principem persecutionis, *ne forte, inquit, Saul, aut Absalom rapiat animam, id est, vitam meam, ut leo solet absque misericordia ulla interficere animalia, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat, id est, dum tu non redimis, neque salvas.* Sciebat enim David, omnem industriam humanam sine Deo vanam esse. Caeterum Scriptura saepius utitur voce redemptionis pro quacumque liberatione, etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii.

3. *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.* 4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Reddit causam, cur petierit liberari a Deo quia videlicet Deus novit innocentiam eius, et sic refellit calumniam Saulis, vel Semei de insidiis in Saulem et invasione regni; nec solum dicit, se non reddidisse malum pro bono, neque malum pro malo sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono, *si feci, inquit istud, id est, si insidiatus sum Regi, vel si invas*

regnum fraude aliqua, aut vi: *si est iniquitas in manibus meis*, id est: si operatus sum iniquitatem, reddens malum pro bono, id est, cum recepissem a Saule honorem magnum, ut essem gener eius, et tribunus super mille viros, *si reddidi* pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Addit, se non reddidisse malum pro malo: *si reddidi retribuentibus mihi mala*, id est, cum Saul, sive Semei retribuerint mihi mala pro beneficiis a me acceptis, si reddidi eis vicem: *decidam merito ab inimicis meis inanis*, id est, si non sunt falsae eorum calumniae, non recuso cadere in praelio penitus inanis, sive sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, et maximo accepto.

5. *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.* Haec sunt mala, quae sibi ipse imprecatur, si verae sunt calumniae Saulis, aut Semei. Semper autem crescit oratio. Primo, dicit: *Persequatur inimicus animam meam*, id est, conetur me occidere. 2. *Comprehendat*, id est, non possim effugere manus eius, qui capiat me ad interficiendum. 3. *Conculcet in terra vitam meam*, hanc ignominiose destruendo, quomodo destruuntur, quae pedibus atteruntur. Denique *gloriam meam in pulverem deducat*, id est, post mortem detrahatur gloria e loco sublimi, in quo nunc est, usque ad pulverem, ita ut memoria mea cum infamia et opprobrio vivat inter homines.

6. *Exurge, Domine, in ira tua; et exaltare in finibus inimicorum meorum.* Demonstrata innocentia sua, petit a Deo iustam defensionem. Et quia Deus per metaphoram dicitur dormire, cum non adiuvat, ut supra diximus; surgere autem a somno, quando incipit adiuvere, iuxta illud: *Exurge, quare*

obdormis, Domine? ideo nunc dicit: *Exurge in ira tua*, id est, irascere inimicis meis, eosque repelle, ne mihi noceant. *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum*, id est, appare sublimis in finibus inimicorum, ut omnes te videant, id est, ut omnes praesentiam tuam sentiant.

7. *Et exurge, Domine, Deus meus, in praecepto, quod mandasti; et synagoga populorum circumdabit te.* Petierat simpliciter auxilium Dei contra inimicos; nunc addit rationem, cur deceat Deum hoc facere. Et ratio est quia Deus praecepit iudicibus terrae, ut liberent innocentes de manibus opprimantium. Ex quo sequitur, ut ipsum quoque id facere deceat, qui est iudex supremus super omnes iudices. *Exurge, inquit, in praecepto, quod mandasti*, id est, iuxta praeceptum, quod tu dedisti, vel iuxta iudicium (ut est in hebraeo) quod fieri praeceperisti. *Et synagoga populorum circumdabit te*; id est, ex hac demonstratione praesentiae tuae in cohibendis inimicis meis, et in defensione mea fiet, ut multi alii cognoscant te, et confiteantur tibi, teque laudent, et sic circumdabunt te, quia ubi sunt aliqui congregati in nomine tuo, ibi tu es in medio eorum. *Synagoga* significat coetum, congregationem, etc.

8. *Et propter hanc in altum regredere; Dominus iudicat populos.* Quia dixerat, *synagoga populorum circumdabit te*; ideo nunc adiungit: *Et propter hanc in altum regredere*, id est, propter hanc multitudinem excelsam gloriae tuae iustitiaeque solium conscende, omnes, ut te collaudent. *Dominus iudicat populos*; supremi enim Domini, qualis tu es; proprium est, nationes orbis universi iudicare, et singulis hominibus ius reddere. Ita Tirinus et Le Blanc.

9. *Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.* Haec est conclusio totius precationis superioris. Quia enim sciebat, falsam esse calumniam Saulis, sive Semei, et conscientiae suae testem habebat Deum; rogat ipsum Deum supremum iudicem, ut iudicet causam suam iuxta iustitiam suam et innocentiam, quae est super se, seu in se, quia scilicet nunquam nocuit Sauli. Ita s. Hier.

10. *Consumetur nequitia peccatorum, et diriges iustum; scrutans corda et renes Deus.* Haec est quasi pars altera psalmi, in qua docet propheta eos, qui male agunt, adversus se ipsos agere, ac per hoc hortatur omnes, ut convertantur ab iniquitate ad iustitiam. Ait igitur: *Consumetur nequitia peccatorum*, id est, perficiatur, et ad summum perveniat nequitia peccatorum, tamen iusto non nocbit, quia tu *diriges iustum* per providentiam tuam: Tu, inquam, hoc facies, qui solus nosti qui sint vere iusti, cum *scrutaris corda*, id est, cogitationes et *renes*, id est, desideria.

11. *Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Ex universali sententia colligit in particulari, se merito sperare adiutorium Domini, quia iustum est, ut Deus iustos adiuvet: Quoniam eius proprium est, *salvos facere rectos corde*, id est, eos qui vere sunt iusti coram Deo, qui *scrutatur corda*.

12. *Deus iudex iustus, fortis, et patiens; numquid irascitur per singulos dies?* Sensus est, iuxta Bellarm. Deum iudicem iustum, qui simul est fortis et patiens, non semper irasci, vel comminari tantum, sed aliquando reipsa effundere iram suam gravissime puniendo. Id quod dicitur adversus eos, qui videntes Deum saepe minari multa mala pec-

catoribus, et tamen differre executionem, minas Dei contemnunt. Hunc autem huius versiculi sensum esse, colligitur ex sequenti.

13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit et paravit illum.* Probat propheta, Deum non semper irasci, vel minari, sed aliquando effundere iram et inferre mala, quae comminabatur. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*, id est, agitabit caedendo; nec solum gladio percutiet, sed etiam arcu, iam enim *arcum tetendit et paravit*. Utitur autem similitudine gladii, et sagittarum, ut significet Deum ferire tam prope quam longe. Quando causa mali nobis illati proxima est et manifesta, tunc Deus quasi gladio ferit; quando causa mali remota est et occulta, tunc Deus videtur eminus iaculari sagittas suas.

14. *Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Ne putaremus sagittas Dei facile posse repelli, aut vitari, ait propheta, eas sagittas esse *vasa mortis*, id est, instrumenta mortifera, et sagittas effectas seu fabricatas *ardentibus*, id est, ex ardenti materia, ut sint tela ignita, quae velocissime et summa vi penetrant omnia. Porro nomen vasis passim accipitur in Scripturis pro instrumento, ut psalm. LXX, 22; Isaiæ XXII, 24, etc.

15. *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem.* Tribus sequentibus versiculis ostendit sagittas Dei, ut vere ignitas velocissime et summa vi ferri, ut vitari non possint. Nam illa ipsa actione, Dei providentia sic disponente, qua peccatores nocere parant iustis, se ipsi occidunt. *Ecce*, inquit, *parturiit iniustitiam*; peccator videlicet, iniustum aliquod opus adversus iustum effecit. Porro hic *parturiit*, non est aliquid diversum a voce *peperit*, sed omnino idem: explicat enim statim

clarius, quo semine parturierit, sive pepererit, dum ait: *Concepit dolorem et peperit iniquitatem*. Concipitur enim semen, et paritur foetus. Conceptio doloris est conceptio invidiae, sive odii in proximum, quae sunt semina multorum malorum, et recte conceptio invidiae, vel odii dicitur conceptio doloris, quia invidia et odium torquent, et dirumpunt animum invidentis et odio habentis. Ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut caedes, rapina, detractio, falsum testimonium, et similia.

16. *Lacum aperuit et effodit eum; et incidit in foveam quam fecit*. Dixerat peccatorem peperisse iniquitatem contra iustum, addit, aperuisse etiam lacum, seu foveam. Significat autem his similitudinibus, peccatorem aliquando aperte, aliquando occulte moliri malum iustis. Incipit iam ostendere, mala illa peccatorum solis peccatoribus ipsis nocere, et hunc esse gladium, sive sagittas Dei; et incipit ab ultimo malo, quia in illo desierat. *Aperuit*, inquit, *lacum*, seu foveam, ut iustus, nesciens ibi foveam esse, in eam caderet, sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat.

17. *Convertetur dolor eius in caput eius; et in verticem ipsius iniquitas eius descendet*. Non solum mala occulta, ut apertio foveae, sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quae multis signis prodit exterius; et ipsa mala ex odio et invidia profecta, ut caedes, rapinae et similia, in auctorem, Deo sic disponente, recident. Exemplo sunt Saul et David, Christus et Iudas, martyres et persecutores.

18. *Confitebor Domino secundum iustitiam eius; et psallam nomini Domini altissimi*. Concludit cum laude Dei. *Confitebor Domino*, id est, laudabo Domi-

num *secundum iustitiam eius*: idest laudabo prout meretur eius iustitia, quae tam admirandis modis liberat iustos, punit iniustos. *Et psallam nomini Domini altissimi*, sive hymnum dicam Domino altissimo, id est, supremo iudici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios iudices.

PSALMUS VIII.

Synopsis

Depraedicat magnitudinem excellentiae divinae, ex tot et tam multis eius operibus, inter quae cum nobilissimum sit homo, et inter homines Christus, hinc iure Christo appropriatur hic psalmus Matth. xxii, et Hebr. ii.

Titulus huius psalmi est iste: *In finem pro torcularibus Psalmus David*. Quid autem sit *pro torcularibus*, difficile est divinare. Aliqui putant significare genus instrumenti musici. Ss. Athan., Hier., Chrys. et Aug. *per torcularia* mystice intelligunt Ecclesias Christianorum, in quibus reperitur expressum vinum sanguinis Christi, gratiarum et virtutum. Bellarminus faletur hic, se nondum salis assequi huius tituli, uti etiam multorum aliorum, intelligentiam.

1. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur David in admirationem, quod tantus Deus tanti faciat, hominem, qui est pulvis et cinis, ut eum visitare, et plurimis ac maximis beneficiis ornare dignatus sit. Dicit autem nomen Dei esse *admirabile*, quia licet pauci reipsa mirentur, cum pauci sint, qui considerant opera Dei; tamen ipsum Dei nomen est admiratione dignissimum, cum omnes creaturae assidue laudent Creatorem, et hoc modo plena est omnis terra gloria Dei; quia quidquid est in terra, etiamsi mini-

num quid videatur, potentiam et sapientiam Creatoris infinitam manifestat.

2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos.* Ratio redditur, cur sit tam admirabile nomen Domini in universa terra, quia videlicet magnificentia Dei est altior coelo, id est non capitur coelo: tanta est, ut totus mundus eam capere non possit. Porro magnificentia virtus est magnorum principum, qui magnis sumptibus vel ingentia palatia aut civitates aedificant, vel multos famulos, aut etiam integros exercitus alunt, vel amplissima dona in alios conferunt. Deus autem aedificavit palatium totius mundi, cuius pavementum est orbis terrae, et tectum est coelum. Alit omnia viventia, quae sunt innumerabilia; denique donavit angelis sanctis, et donaturus est hominibus iustis regnum amplissimum, non temporale sed aeternum. Vere igitur magnificentia eius maxima est.

3. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos; ut destruas inimicum et ultorem.* Potest hic versus duobus modis intelligi. Primo ut per infantes et lactentes intelligantur homines, qui revera comparatione Angelorum sunt velut infantes, praesertim circa intelligentiam rerum divinarum. Ergo, inquit, *ex ore* mortalium hominum perfecisti laudem, revelans eis gloriam tuam *propter inimicos tuos*, id est, ad confusionem superborum angelorum, *ut destruas inimicum et ultorem*, id est, ut perdas sapientiam primarii inimici tui diaboli et defensoris, sive ultoris eius, id est, agminis angelorum rebellium qui illum secuti sunt. Secundo, per infantes et lactentes possunt intelligi homines humiles, et parvuli in oculis suis, et imperiti scientiarum saecularium, quales fuerunt multi prophetae et apostoli, et multi alii, et etiam

vere pueri, qui in tenera aetate perfecte iam cognoverunt gloriam Dei, ed admirabile nomén eius. In hoc sensu allegavit Dominus hunc psalmum Matth. xxi: *Nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Inimici autem dicuntur sapientes huius mundi, et defensores illorum, qui quamvis Deum cognoverint, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut apostolus docet ad Rom. i.

4. *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum: lunam et stellas, quae tu fundasti.* S. David ponit se in numero horum infantium laudantium Deum; quasi dicat certe *ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*; nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ovium eram, tuas laudes perficiam. *Quoniam videbo coelos tuos, etc.* Id est, considerabo attente admirabile illud opus manuum tuarum, et inde laudabo te tanti operis Creatorem. Non dicit opera brachiorum, sed *digitorum*, ut ostendat summa facilitate coelos a Deo conditos fuisse. Praeterea non meminit solis, sed lunae tantum et stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat. Denique verbum *fundasti*, significat coelum, lunam et stellas ex nihilo creata, quasi dicat: Quae tu a fundamento fecisti, cum antea nihil eorum extaret.

5. *Quid est homo quod memor es eius; aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Miratur, quod tantus Dominus creator coeli et terrae dignatur recordari hominis, qui pulvis et cinis est. Quia vero istud recordari in Deo non est simplex memoria, sed est recordari ad benefaciendum, addit explicans, *aut filius hominis, quoniam visitas eum.* Visitatio autem significat specialem providentiam, quam Deus habet erga homines, sed praecipue illam, quam Deus

ostendit, cum venit in hunc mundum, et assumpsit humanam naturam, et in terris visus, et cum hominibus conversatus est. Et haec visitatio (de qua Zacharias in cantico, Luc. 1: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae. Et infra, visitavit nos oriens ex alto*) maxime meretur admirationem illam, *Quid est homo, etc.*

6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam. Quod homo sit conditus a Deo tam nobilis naturae, ut non sit inferior angelis, nisi modicum; deinde, quod sit ornatus gloria et honore prae omnibus aliis inferioribus creaturis, quia sit factus ad imaginem et similitudinem Dei, ratione et libero arbitrio praeditus; denique quod acceperit potestatem et dominium in omnia opera Dei, ac praesertim in animalia; ideo subiungit:

7. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi; 8. Volucres coeli, et pisces maris qui perambulavit semitas maris.* Per oves et boves intelliguntur omnia animalia domestica; per pecora campi animantia sylvestria, quae libere vagantur per campos.

9. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto psalmo declarare et approbare intendebat, quasi dicat: iure igitur, ac merito exclamavi: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*

PSALMUS IX.

Synopsis

Tractatur hic prophetice de Filio Dei, qui in carne humana delitescens, et novo bellandi genere pugnans, vicit diabolum et exercitum eius; quod Apostolus (Coloss. 1) vocat mysterium absconditum a seculis. Hinc psalmus iste hunc habet titulum: In finem pro occultis filii, Psalmus David: Cur igitur nomen filii hoc loco ponitur absolute, et praecedit nomen occulti, sive arcani, id est, mysterii reconditi, recte intelligimus, inquit Bellarminus, hic tractari dictam materiam.

1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua.* Proponit materiam psalmi, quae erit laudatio Dei propter opera eius mirabilia. Omnia mirabilia significat, rem laudandam tam esse universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus summae misericordiae, in quo quasi recapitulantur omnia beneficia Dei.

2. *Laetabor et exultabo in te; psallam nomini tuo, Altissime.* Idipsum aliis verbis significat, quod scilicet laetabundus, et exultans Deum laudare, et in gloriam eius illa mirabilia cantare velit.

3. *In convertendo inimicum meum retrorsum; infirmabuntur, et peribunt a facie tua.* Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum et satellites eius, et loquitur in persona totius Ecclesiae. *In convertendo inimicum meum retrorsum*, id est, cum convertetur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videlicet incipiens a facie tua: tunc omnes eius milites *infirmabuntur et peribunt*, id est, cognita

fuga sui ducis, debiles reddentur, et dilabentur et evanescent, ac si periissent.

4. *Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam; sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.* Reddit causam, quare futurum sit, ut diabolus fugiat, et totus eius exercitus dissipetur. *Quoniam, inquit, tu Domine, Fili Dei, fecisti iudicium meum et causam meam,* id est, absolvisti iudicium et litem, ac controversiam, quae erat generi humano, sive Ecclesiae cum diabolo. Diabolus enim praetendebat, genus humanum iuste a se teneri captivum; sed Christus in cruce absolvit hanc litem, satisfaciens pro homine; unde subditur, *sedisti super thronum qui iudicas iustitiam*, ubi crucem vocat thronum, iuxta illud s. Leonis, serm. 8 de pass.: O ineffabilis gloria passionis! in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas est crucifixi. Atque haec sunt vere occulta Filii Dei, ut habetur in titulo psalmi. Qui enim in oculis Dei reus videbatur, et cum summa ignominia poenas luere; is illo ipso tempore in throno sedens iustitiam iudicabat, id est, iustissime iudicabat, iam pretio soluto hominem liberandum, et diabolum dominio spoliandum, et reipsa *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, ut scribit Apost. Coloss. II: *Tulit de medio, affigens illud cruci, et spolians principatus et potestates.*

5. *Increpasti gentes, et periit impius; nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi:* Post debellatum diabolum per crucem, Dominus Christus per apostolos increpavit gentes, *arguens mundum de peccato, de iustitia et de iudicio*, ut ipse Dominus futurum praedixit; et eo modo periit impius, id est, periit impietas idololatriae, et homo de impio factus est pius. Et non solum periit im-

pius, qui tunc erat, sed delevit Christus nomen eorum, id est gentilitatis et idololatriae in aeternum, ut non amplius sint rediturae, quasi stirpitis eradicatae, id quod iam videmus ita impletum, ut ne iudaei quidem colant amplius idola, qui ad ea colenda propensissimi erant. Istud *in aeternum, et in saeculum saeculi*, significat durationem nunquam finiendam.

6. *Inimici defecerunt frameae in finem: et civitates eorum destruxisti.* Reddit causam, cur non sit reditura idololatria, quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita, ut non habeat, nec unde offendat, nec ubi se defendat. Illud *inimici* est genitivi casus, et *framea* significat gladium, ut sensus sit: Defecerunt gladii hostis nostri diaboli usque in finem, sive in aeternum; per gladios inimici intelligi possunt tentationes sive suggestiones diaboli: dicuntur autem isti gladii defecisse, quia iam nihil nocere possunt armatis fide Iesu Christi. Per civitates autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola sustulit.

7. *Periit memoria eorum cum sonitu; et Dominus in aeternum permanet.* Sensus est, periisse memoriam idololatrarum et ipsorum idolorum, et totius regni Satanae cum magno strepitu et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi reges et imperatores totis viribus conati sunt idola defendere sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatria cadebat, et memoria eius abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum memoria quoque idololatriae periit: Christus *Dominus* autem et eius memoria nunquam peribit, et *in aeternum permanet*.

8. *Paravit in iudicio thronum suum, et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate, iudicabit populos in iustitia.* Post Christi mortem et resurrectionem, data est ei omnis potestas in coelo et in terra. Id hoc loco David commemorat, quasi dicat: Post certamen cum diabolo, Dominus *paravit*, sive, ut sonat vox hebraea, stabilivit *thronum suum in iudicio*, id est, ad iudicandum: *et ipse iudicabit orbem terrae*, id est, populos omnes totius mundi *in aequitate et iustitia*. Idem est autem hic aequitas et iustitia.

9. *Et factus est Dominus refugium pauperi; adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Ex eo, quod deinceps regnabit Christus Dominus, et iudicabit iuste, colligit propheta magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent: quasi dicat, non timeant amplius pauperes, quia Dominus in coelo sedens factus est refugium pauperum. Et rursus idipsum aliis verbis repetit: *Adiutor*, inquit, *in opportunitatibus*, id est, temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum *in tribulatione*. Tunc enim opportune divinum praebetur auxilium, quando tribulatione urgemur, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem haec promissio in omnibus, qui Deum vere quaerunt et timent. Ideo subiungit:

10. *Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.* Mutatio personae frequens est in psalmis (ut supra insinuavimus), et saepe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur, dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in angustiis suis omnes *qui noverunt nomen tuum*, id est, qui non solum sonant voce nomen Dei, sed probe intelligunt, quid significet, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam et misericordiam Dei.

Ideo merito in te sperare possunt amici tui, *quoniam non dereliquisti*, id est, nunquam dereliquisti *quaerentes te*. Dicuntur autem quaerere Deum, qui cupiunt eius gratiam, et student toto corde placere illi.

11. *Psallite Domino qui habitat in Sion; annuntiate inter gentes studia eius*. Post apostrophem ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans, ut ipsi quoque Deum laudent, et alios ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare *in Sion*, ut distinguatur Deus verus a diis falsis, qui habitant in delubris et fanis ethnicorum. Illud autem *studia eius*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quae relucent in redemptione generis humani. Itaque sensus est: Cantate Deo vero psalmum, laudantes eum, et annuntiate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, adeoque mirabilia opera eius, ut omnes gentes haec audientes illum laudent.

12. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum*. Redit ad id, quod dicebat, Dominum iustum iudicem esse, refugium pauperum in tribulatione; et respondet tacitae obiectioni, quae poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi, et etiam innocenter occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam etiamsi videatur aliquando oblivisci pauperum suorum, tamen non ita est, sed *requirens*, id est, inquirens in vitam hominum, discutiens acta singulorum, *recordatus est sanguinem* innocentium iniuste effusum, et *non est oblitus clamorem* eorum, qui, dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando et opprimentium poena et oppressorum gloria manifestabitur.

13. *Miserere mei, Domine; vide humilitatem meam de inimicis meis.* Est vox Ecclesiae contra persecutores. Vide *humilitatem*, id est, abiectionem meam, ut in graeco, vel afflictionem, ut in hebraeo habetur, de inimicis meis, id est, ex inimicis meis provenientem.

14. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.* Tu, Domine, ait Ecclesia, miserere mei, qui me exaltas, id est, longe facis a *portis mortis*, sive inferni. Per has portas videtur intelligenda multitudo hostium infernalium. *Portae inferi non praevalent adversus eam.* Matth. xvi. Pulcre autem opponuntur portae mortis *portis filiae Sion*, id est, portis Ierusalem; quia portae mortis seu inferni in loco infimo sunt, portae Ierusalem in monte excelso; in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Ierusalem populus Dei; portae mortis bella emittunt, portae Ierusalem in pace fundatae sunt. Itaque exaltatur ecclesia a *portis mortis*, ut annuntiet laudem Dei *in portis filiae Sion*, id est, liberatur a tentationibus et bellis, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram angelis Dei, qui sunt in portis coelestis Ierusalem.

15. *Exultabo in salutari tuo: infixae sunt gentes in interitu quem fecerunt.* Dum me exaltasti de portis mortis, *exultabo in salutari tuo*, id est, in salute mihi a te donata. Quoniam *gentes*, quae mihi interitum paraverunt, in ipsum interitum *infixae sunt*, id est, persecutio inimicorum mihi non nocuit, sed ipsis. Ita Bellarminus et le Blanc.

16. *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Non solum aperta persecutio, sed etiam occulta, quae veluti laqueus tendebatur, auctoribus pernicioosa fuit, non mihi.

17. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ex hoc mirabili iudicio Dei, qui convertit arma et fraudes hominum impiorum in se ipsos, colligit David fore, ut cognoscatur Deus. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens*; id est, cognoscetur esse Deus verus et summus, dum iudicia facit tam admiranda; nam per eius providentiam *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*; nimirum dum incidit in interitum, quem aliis paraverat, et in laqueum, quem aliis tetenderat.

18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Deum.* Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. Dicuntur autem peccatores conversuri (vel potius reversuri in infernum, ut in hebraeo est) quia inde venerunt, qua peccatores sunt. Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. Quod sequitur, *omnes gentes, quae obliviscuntur Deum*, explicat, qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum.

19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem.* Dicit, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum detrudendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum; tamen non obliviscetur eorum usque in finem, sed aliquando recordabitur, et proinde *patientia, sive expectatio pauperum non peribit in finem*, id est, in aeternum.

20. *Exurge, Domine, non confortetur homo; iudicentur gentes in conspectu tuo.* Posteaquam prae-

dixit interitum impiorum, rogat Deum, ut incipiat coërcere impios. *Exurge, Domine, non confortetur*, id est non praevaleat homo, qui pulvis est, contra Deum factorem suum, *iudicentur gentes in conspectu tuo*, id est, iudicium contra eos a facie tua prodeat.

21. *Constituë, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Iudicium contra gentes, quae persequebantur Ecclesiam, manifestum fuit, quando subiectae fuerunt principi christiano. Tunc enim intellexerunt gentiles, se homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum praevalere non posse. Id praedicit propheta per modum precantis. Bellarminus per *legislatorem* intelligit Constantinum, Iovianum, Valentinianum et similes.

Hic notandum est, quod Hebraei in sequenti versu incipiunt psalmum decimum, sed hanc distinctionem 70 Interpres non fecerunt.

22. *Ut quid, Domine, recessisti longe, despicias in opportunitatibus, in tribulatione?* In principio psalmi exultabat David in spiritu ob occulta mysteria Filii Dei, qui moriendo debellavit aëreas potestates, et gentilitatem atque idola destruxit. Deinde in fine prioris partis et in hac posteriore praedicit persecutiones ecclesiae, tum a gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatas, quae interdum ita crescunt, ut videatur Deus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat. Et quia dixerat paulo ante: *Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait: *Ut quid, Domine; recessisti longe*, id est, ita permittis impios grassari in iustos, ac si non adesses, sed lon-

ge recessisses? *Despicis tuos pauperes videlicet in opportunitatibus*, quando opportunum esset eos iuvare, nempe *in tribulatione*.

23. *Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant*. Videtur sensus esse, *dum superbit impius*, id est, dum impius prospere agit, et gloriosus apparet, tunc *incenditur pauper*, id est, scandalizatur, et uritur aestu cogitationum iustus pauper: *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant* (est graecismus; nos enim diceremus: In consiliis de quibus vel quae cogitant), id est, uterque tam impius gloriosus, quam iustus pauper comprehenditur, et illaqueatur consilio, id est, cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam felicitatem, et ipse se decipit: iustus vero videns impium prospere agere, cogitat, quid hoc sibi velit, et magis ac magis se involvit. Ita Bellarminus. Porro haec videtur ratio versus superioris. Ideo enim rogavit Propheta Deum, ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum et impiis et iustis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

24. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae: et iniquus benedicatur*. Reddit causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius, et uratur pauper; quia videlicet peccator male agit, et tamen dives et potens laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria animae eius, sive desideria ipsius (est enim phrasis hebraica), quamvis iniqua et iniusta approbantur, et hinc fit, ut iniquus benedicatur, cum maledici potius mereretur.

25. *Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem irae suae non quaeret*. Pergit explicare malitiam peccatoris superbi. *Exacerbavit Dominum*

peccator: et cum deberet omni studio quaerere reconciliationem, *secundum multitudinem irae suae non quaeret*, id est, propter magnitudinem irae suae in pauperes afflictos, non quaeret Deum, vel reconciliationem cum Deo. Ira enim, et arrogantia excaecat mentem, ut non cogitet peccator, quantum malum sit, exacerbasse Dominum. Ita Tirin. Bel-larm. et alii.

26. *Non est Deus in conspectu eius: inquinatae sunt viae illius in omni tempore* Excaecatus peccator non cogitat Deum, ex quo sequitur, quod nullo tempore dirigat viam suam ad Deum, sed ad carnalia desideria explenda: et ideo omnes viae, id est, omnia opera eius sunt inquinata sorde concupiscentiae.

27. *Auferuntur iudicia tua a facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur.* Id, quod eum convertere posset a via mala, cogitatio videlicet terribilium iudiciorum tuorum, longe est a corde ipsius: et ideo sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, id est, tyrannice opprimit omnes quos inimicos suos putat.

28. *Dixit enim in corde suo: Non movebor, a generatione in generationem, sine malo.* Notatur hic confidentia vana impii, cogitat enim apud se, nihil sibi nocere posse. *Dixit in corde suo: Non movebor,* id est, nemo me commovere poterit, nec deicere a statu meo: *a generatione in generationem, sine malo,* supplendum est, *ero,* ut in hebraeo clare apparet, et sic etiam vertit s. Hieron.

29. *Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor.* Descripsit Propheta, quale sit cor impii, quod videlicet non cogitat Deum, etc.; nunc describit, quale sit os, descripturus postea, qualia sint opera. Dicit

igitur os impii esse plenum maledictione, amaritudine et dolo. Ad maledictionem pertinent blasphemiae in Deum, et convitia in homines: ad amaritudinem, detractiones, murmurationes, contentiones, et alia odium et rancorem testantia, denique ad dolum, contumeliae, periuria, mendacia. Quod additur *sub lingua eius labor et dolor*, significat effectum horum malorum: eo enim tendunt omnia verba impii, ut laborem et dolorem afflictis afferant.

20. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Hic iam describuntur mala opera, id est, oppressiones pauperum. Est autem metaphora ducta ab iis qui latent intra vestibula domus, ut observent transeuntem, quem interficere cupiunt. Significatur autem impios et potentes, adiunctis sibi sociis aliis divitibus, et potentibus, variis artibus et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem adducere.

31. *Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* 32. *Insidiatur, ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.* 33. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperum.* Quod dixerat supra, exponit in his tribus versibus, varians metaphoras. Nam in 30 ꝑ. comparavit oppressorem homini insidianti alteri homini. In 31 comparat leoni insidianti aliis bestiis debilioribus. In 32 et 33 comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Porro versiculi duo posteriores sic intelligendi sunt. *Insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere autem pauperem conatur tunc, cum eum ad se attrahit* alliciendo incautum. *In laqueo vero suo iam captum humiliabit*, id est, opprimet, et *inclinabit se super eum*, et in eum

cadet; id est, super eum irruet, cum dominatus fuerit pauperum, id est, cum illis plane potitus fuerit.

34. *Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.* Repetit causam tantae impietatis, nimirum, quia impius cogitat apud se, Deum non curare res humanas, nec unquam esse curaturum.

35. *Exurge, Domine Deus; exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum.* Rogat Deum ut impios coërceat. *Exurge*, inquit, quasi a somno, et *exaltetur manus tua* ad percutiendum. Manus enim dormientis, vel quieti hominis demissae, et saepe complicatae esse solent.

36. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requireret.* Iterum repetit causam, cur impius Deum irriter peccando, eam esse: quia cogitat Deum ista non requirere.

37. *Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.* Refellit propheta illam causam, q. d. Imo *vides*, o Deus, et requiris, quod ex eo apparet, quia tu *laborem et dolorem* miserorum *consideras*, ut, cum impleta fuerit mensura, *tradas impios in manus tuas puniendos.*

38. *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Merito istos consideras, quia tibi Patri omnipotenti incumbit cura eorum praecipue, qui sunt destituti omni auxilio.

39. *Contere brachium peccatoris et maligni: quaeretur peccatum illius, et non invenietur.* Id est, potentiam et robur peccatoris *contere*, et sic humiliatus resipiscet, nec amplius peccabit: Ideo *quaeretur postea peccatum eius, et non invenietur.* Iuxta illud, quod alibi dicit: *imple faciem illorum ignominia, et quaerent nomen tuum.*

40. *Dominus regnabit in aeternum, et in saeculum saeculi: peribitis, gentes, de terra illius.* Praedicit futurum, quod ut fieret, oraverat. *Dominus*, ait, semper *regnabit*, invitis inimicis eius, imo ipsi inimici peribunt, et exterminabuntur *de terra illius*, id est, de orbe terrarum universo, *quia Domini est terra et plenitudo eius.*

41. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quod futurum est, ponit tanquam praeteritum, propter certitudinem, nec dicit orationem, sed *desiderium pauperum*, ut ostendat celerem exauditionem, q. d. Deus, qui scrutatur corda, non expectabit orationem, sed ipsum desiderium, quod orationem praecedere solet, exaudiet. Idem vero est, desiderium, et praeparatio cordis: desiderium enim est praeparatio ad orandum.

42. *Iudicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.* Exaudivit Dominus desiderium pauperum, *iudicare pupillo et humili*, id est, ad hoc exaudivit, ut iudicet causam pupilli et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps *homo*, qui est *super terram*, audeat superbire contra Deum, qui est in coelo.

PSALMUS X.

Synopsis

Est cohortatio ad confidentiam tempore calumniarum et aliarum persecutionum. Loquitur David in persona cuiuslibet iusti, praevidens quodammodo illud Apostoli: Omnes, qui pie vivere volunt, persecutionem patientur. II. Timoth. 3. Caeterum de huius psalmi titulo, qui est: In finem, Psalmus David, supra iam dictum est.

ÿ. 1. *In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: Transmigre in montem sicut passer?* Est vox iusti, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum. *In Domino*, inquit, *confido*, qui ubique est, *quomodo dicitis animae meae*, cur mihi persuadere conamini (alloquitur vel daemones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, sive cogitationes a diabolo immissas), *transmigre in montem sicut passer?* id est, desere vocationem et abi ad locum ubi nullae sunt tentationes, nulla pericula. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quae aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui, cum graviter tentantur, saepe putant mutatione loci posse molestiam illam declinari, et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt ad quam fugiant, tanquam ad montem.

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagillent in obscuro rectos corde.* Haec est ratio, cur potissimum fugiendum sit ad montem, et deserenda vocatio prae nimio timore, quem tentatio suggerit, videlicet, quia mali homines assidue persequuntur iustos, sive calumniis, sive alia ratione. Comparat

autem calumnias et alias persecutiones, sagittis quae iaciuntur in obscuro : ut significet eas calumnias , vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix caveri posse. Dicitur, *paraverunt sagittas in pharetra*, ut significetur, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel iacerent sagittam, sed etiam implesse pharetram sagittis, ut saepius iaculari possent.

Hi duo versus: *In Domino confido, etc.*, et *Quoniam ecce peccatores, etc.*, etiam hunc sensum habere possent: Non licet iam esse recto corde, quoniam tendentur undique insidiae rectis corde, ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest, vel cedendum est consuetudini, et deserenda via iustitiae. Sed huic tentationi respondet iustus: *In Domino confido*, et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam iustitiae.

3. *Quoniam, quae perfecisti, destruxerunt; iustus autem quid fecit?* Confirmat per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores iniuste persequantur iustos. Nam peccatores *destruxerunt* ea, quae tu *perfecisti*, id est, leges, consilia et ordinationes tuas, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu iubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando et persequendo iustos. *Iustus autem quid fecit?* hoc est, iustus non dedit eis ullam occasionem, sed ipsi oderunt iustos gratis.

4. *Dominus in templo sancto suo; Dominus in coelo sedes eius.* Incipit rationem dare, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias impiorum: quia videlicet Dominus omnium in coelo sedet iudex, unde omnia videat, et omnes subiectos habeat. *Dominus in templo sancto suo*, subin-

telligitur, sedet. Vocat autem templum sanctum Dei, coelum summum, quod est templum non manu factum. Idem significat clarioribus verbis, dum ait: *Dominus in coelo sedes eius*. Est phrasis hebraica, pro: Sedes Domini est in coelo, vel Dominus in coelo sedem habet.

5. *Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebrae eius interrogant filios hominum*. Ex throno illo altissimo respicit Deus pauperes, proinde nihil mali accidere potest hominibus, Deo non sciente, aut non permittente, quae est maxima consolatio iustorum. Quod sequitur, declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit, ac diiudicat bonos et malos, et omnia eorum opera: nam illud, *palpebrae eius interrogant*, nihil significat aliud, nisi oculi eius perfecte discernunt. Quoniam enim psalmi poëticae sunt scripti, multis figuris scatent. Adeoque *palpebrae*, ponuntur pro oculis, et oculi pro mente: item *interrogare*, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset et examinasset.

6. *Dominus interrogat iustum et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*. Non solum Deus exacte cognoscit iustum, et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat et punit. Et ideo *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; id est, seipsum, quoniam propter iniquitatem gravissime punitur. Mira sententia est, et elegantissima: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Nam qui diligit iniquitatem, videtur diligere animam suam, id est, seipsum; quia ut sibi ipse satisfaciat, peccat, et tamen revera odit animam suam, et perdit. Hoc est, quod Dominus ait, *qui amat animam suam, perdet eam*, id est, qui male se amat, vere se odit.

7. *Pluet super peccatores laqueos : ignis , et sulphur , et spiritus procellarum , pars calicis eorum.* Haec est ratio , cur iniqui oderint animas suas , quia Dominus *pluet super peccatores laqueos* ; id est , in hac vita immittet laqueos in maxima copia , quasi guttas pluviae in peccatores ; id est , sinet eos involvi pluribus peccatis , percutiendo eos caecitate , et tradendo eos in reprobum sensum , quae est poena vere horrenda et gravissima : deinde in altera vita , *ignis , et sulphur , et spiritus procellarum , pars calicis eorum* ; id est , portio et haereditas ipsorum erit in gehenna. Observandum est hic , nomine calicis intelligi haereditatem , ut etiam alias in Scriptura sumitur. Dicitur forte haereditas *calix* , quia sicut calix in mensa dividebatur inter convivas ; ita haereditas dividitur inter filios eiusdem patris. Pulcre autem filiis diaboli , quibus Dominus ait , *vos ex patre diabolo estis* , tribuitur haereditas , quam diabolus possidet , id est , poena horribilis significata per ignem , et sulphur , et spiritum procellarum , id est , venti frigidissimi et vehementissimi in gehenna.

8. *Quoniam iustus Dominus , et iustitias dilexit : aequitatem vidit vultus eius.* Haec vera ratio est , cur Deus tam atrociter puniat impios , quia *iustus* est ipse in se , et diligit *iustitias* , id est , opera iusta in omnibus aliis quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit , dicens : *aequitatem vidit vultus eius* . Per aequitatem enim intelligitur rectitudo , quae est quasi declaratio iustitiae ; nam agitur hic de iustitia universali , quae complectitur omnes virtutes , et est quaedam rectitudo totius hominis. Illud autem , *vidit vultus eius* , non significat simplicem visionem , sed visionem approbationis , iuxta illud psalm. 1 : *Novit Dominus viam iustorum.*

PSALMUS XI.

Titulus est: *In finem pro octava, Psalmus David.* De hoc titulo dictum est in psalm. vi neque imposterum repelemus.

Synopsis

Est fidendum in Deo, et non in hominibus; quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima et fidelissima.

1. *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.* Tu, Domine, a periculis omnibus salva me, quoniam non est alius in quo fidere possim: nam *defecit sanctus*, id est, vix invenitur in mundo aliquis vere pius, et misericors (id enim proprie sonat vox hebraica), nec solum defecit misericors, sed etiam verax. *Diminutae sunt enim veritates a filiis hominum*, id est, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque periit fere de terra misericordia; et veritas, seu fidelitas, ut exponit s. Hieron.

2. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.* Probat defecisse sanctum, sive misericordem, quoniam homines ut plurimum non loquuntur proximis utilia et bona, sed *vana*, quae a periculis eruere non possunt, unde etiam frustra loquuntur, ut verit. S. Hieron. Probat quoque defecisse veritatem, quoniam *labia dolosa*, id est, homines *in corde, et corde*, id est, duplici corde loquuntur, unum volentes loqui, et aliud volentes facere, sicque decipiunt.

3. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Per modum imprecationis praedicat fore, ut omnes, qui decipiunt, decipiantur: et dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, et ipsi etiam pereant in aeter-

num. Illud, *et linguam magniloquam*, significat linguam se iactantem ob suos dolos et fraudes, ut patet ex versu sequenti.

4. *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* Explicat, cur coniunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt in lingua sua. *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus*, id est, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quae per illam lucratur. *Labia nostra a nobis sunt*, ex hebraeo et graeco constat sensum esse: labia nostra nobiscum sunt, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, tanquam in instrumento optimo ad praevalendum aliis hominibus. Ideo subiungit, eos dicere: *Quis noster Dominus est?* q. d. Non agnoscimus ullum superiorem, cum per instrumentum linguae omnes alios subiiciamus.

5. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus; nunc docet esse confidendum in Deo, cuius promissa fidelissima sunt: docet autem hoc, poetice introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus, et afflictis. *Propter miseriam*, inquit, *inopum*, qui a dolosis decipiuntur et affliguntur, unde et gemere necesse habent: non differam auxilium, sed *nunc* exurgam eisque adero.

6. *Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.* Explicat, quid sit factururus, cum surrexerit: *Ponam*, inquit, *in salutari*, id est, collocabo eos in salute, stabiliam illos in salute, ut semper salvi consistant. *Fiducialiter agam in eo*, id est, nemo me impediet: audacter, et libere agam in hac re.

7. *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Docet iam Propheta promissionem Domini duobus illis versibus explicatam, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimam et fidelissimam. *Eloquia Domini*, inquit, *casta*, id est, munda et pura, non simulata, sed sincera, fidelia, ut sonat vox hebraica. *Argentum igne examinatum*, id est, sunt eloquia sive promissa Dei veluti argentum verissimum, quod non solum in igne probatum est, sed etiam *probatum terrae*, id est, a populis terrae approbatum, videlicet ab hominibus peritis metallorum. Quod est *purgatum septuplum*, id est: non semel, sed saepius per fusionem (ut exprimit vox hebraea) purgatum a scoria.

8. *Tu Domine servabis nos : et custodies nos a generatione hac in aeternum.* Colligit ex dictis Deum facturum, quod promisit, q. d. Quare in te omnes spes meas, Domine, repositas volo; tu salvator noster eris, et custos ab hoc tempore usque in perpetuum. Ita Le Blanc.

9. *In circuitu impii ambulant : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Quasi quaereret aliquis: Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet: *Impii* interea, dum nos quieti sumus sub alis tuis, *in circuitu ambulant*, semper ambientes bona huius mundi, et nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes: semper autem erunt impii innumeri sic ambientes, dum hic mundus durat; quia *secundum altitudinem tuam*, seu iudiciorum tuorum, id est, secundum alta, profunda, arcana iudicia providentiae tuae *multiplicasti filios hominum*, qui terrena sapiunt, et stultorum infinitus est numerus, ut ait Salomon.

PSALMUS XII.

Synopsis

Est oratio ad Deum tempore tentationis. Putant nonnulli, quod David queratur de tarda Dei ope in tam diuturna Saulis persecutione.

1. *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?* Qui tentatur, duo mala pati solet; prava desideria in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent, tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam: quando tenebrae obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Propter primum dicit homo in tentatione positus: *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* propter secundum ait: *Usquequo avertis faciem tuam a me?*

2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Inverso iam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur: secundo de pravis desideriis, quae invitus tolerat. *Quamdiu, inquit, propter obscuracionem intellectus ponam consilia in anima mea?* id est, varia consilia excogitabo, ut a malo praesenti liberari possim? *quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, ponam dolorem in corde meo?* id est, assumam dolorem, et tristis ero, idque per diem, sive tota die sine intermissione. Ita Bellarmin. Alii sic interpretantur: *Quamdiu anxia mente versabo curas et consilia, quibus evadam manus Saulis.*

3. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice et exaudi me, Domine Deus meus.* Tunc exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, tum tenebras offundendo. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum:

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Deinde invocat auxilium contra utrumque malum. *Respice*, inquit, id est, converte faciem tuam. Deus enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem, vel respicit: in tenebris relinquit, dum faciem avertit. *Et exaudi me*, id est, ne obliviscaris, ne deseras, adiuva exoratus.

4. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.* Clarius eandem orationem repetit. *Illumina oculos meos*, id est, pelle tenebras mentis, convertendo ad me faciem, meque respiciendo, *nequando obdormiam in morte*, id est, ne consentiens desideriis in mortem animae incidam. Illud, *ne unquam obdormiam*, significat hominem cedendo tentationi quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione: sed quia ista quies non est salutifera sed mortifera, ideo additur, *in morte*. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, ne per consensum in peccatum obdormiat, dicens: *Nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.* Id est, ne glorietur diabolus, a se victum servum Dei, quod etiam in iniuriam Dei cederet. Ita Bellarm., S. Augustinum sequens, qui omnia mystice exponit. Le Blanc, vero, et alii fere ex Theodoro sic explicant: *Illumina oculos meos, etc.* Mentis afflictæ tenebras vultus tui splendore dispelle, ne unquam in Saulis manus incidens crudeli morte ab ipso afficiar: neve tandem capto illudens, glorietur, se fuisse potentiorum eo cui specialem opem promiseras.

5. *Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi*, q. d. Non sine causa dixi: *Nequando dicat inimicus, etc.* Nam *exultabunt, qui tribulant me, si motus fuero*, id

est, non solum si plane cessero tanquam victus, sed etiam, si paulisper nutare coepero. Daemones enim quam maxime exultant, si virum aliquem perfectum etiam ad inchoandum tantum peccatum induxerint. Porro ex hoc versu colligit Bellarm. psalmum hunc scriptum esse pro liberatione iusti a tentatione diabolica, non, ut aliqui, de quibus diximus, voluerunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis. David enim, inquit, in illa persecutione quotidie motus fuit loca mutans: Itaque non dixisset: *Si motus fuero, exultabunt, etc.*, quasi pro magno haberet, non moveri. Quod sequitur: *ego autem in misericordia tua speravi*, est altera ratio, cur deceat eum iuvari a Deo, quia nempe fretus misericordia Dei, et non viribus propriis, tentatori resistat.

6. *Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.* Haec est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinet: *Exultabit cor meum in salutari tuo*, id est, prae laetitia gestiet cor meum, cum salutem obtinuerit, eam a te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinet: *cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*, protectio Dei et liberatio a tentatione sunt maxima bona. Denique ad opera pertinet: *Et psallam nomini Domini, etc.* Nam psallere est proprie manu citharam pulsare. Itaque promittit, se corde exultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum, ut totus homo serviat Dei laudibus. Caeterum *psallere nomini Domini*, mystice est opera consona corde et verbis efficere.

PSALMUS XIII.

Synopsis

Est deploratio naturae humanae corruptae, qualis praecipue cernitur in infidelibus, in quibus nondum coepit sanari per gratiam.

1. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse, tamen in corde suo dixerit: *Non est Deus.* Non significat David, unum certum hominem insipientem hoc dixisse, sed vult dicere, homines mente corruptos ad tantam caecitatem pervenire, ut fiant insipientes etiam circa ultimum finem, et cogitent nullum esse Deum, qui res humanas curet, et cui rationem reddere teneantur. *Dixit, inquit, insipiens, id est homo ad summam insipientiam redactus, dixit in corde suo: non est Deus, id est, cogitare coepit, nullum esse Deum.*

2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Dixit propheta corruptam fuisse mentem et insipientem factam: nunc addit corruptam quoque fuisse voluntatem, ita ut plerumque homines peccent, bene autem nunquam faciant: aliud enim est, non peccare, aliud bene facere, si loquamur de opere absolute et perfecte bono. Homines enim fide et gratia destituti, solis viribus corruptae naturae utentes, plerumque peccant; sed aliquando etiam faciunt opera quaedam bona moralia, quae peccata dici non possunt: sed non sunt perfecte, et absolute bona, cum ad summum bonum non perducant. Ita s. Aug. Disput. l. 4 in Julian.

Ait igitur David: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis*, id est, in desideriis sive affectibus: corrupta et abominabilia desideria habent, unde ipsi quoque corrupti et abominabiles sunt. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Certe cum infidelis ex humana inclinatione miseretur pauperis, vel curam gerit filiorum, nihil mali facit: at bonum perfecte et absolute nullus omnino ex solis corruptae naturae viribus facit. Hinc apparet veram huius loci intelligentiam, nihil omnino facere pro haereticis illis, qui testimonio psalmi huius abutuntur ad probandum omnia opera hominis peccatoris, sive non renati esse peccata.

3. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum.*

4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Describit more humano Deum quasi respexisse de coelo, id est, de sublimi specula sua, ut videret, an esset aliquis *intelligens*, id est, non corruptus quoad mentem, *aut requirens Deum*, id est, non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret ac amaret, atque adeo quaereret Deum. *Omnes declinaverunt*, sive aversi sunt, id est, vidit, omnes declinasse a lumine sapientiae, et a semitis iustitiae, imo aversos esse, ac terga vertisse sapientiae et iustitiae. *Simul inutiles facti sunt*, id est, vidit omnes pariter inutiles factos esse Deo; illum enim non colunt, neque ei serviunt, neque tributum gratiarum actionis rependunt. Denique vidit, nullum esse, qui faciat opus perfecte, et absolute bonum.

5. *Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.* 6. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum san-*

guinem. 7. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Significatur his versibus malitia impiorum hominum, qui verbo et opere nocent proximis suis. *Sepulcrum patens est guttur eorum*, id est, sicut ex aperto sepulcro exhalat foetor corporum mortuorum, ita ex ore istorum prodeunt verba turpia, testantia corruptionem cordis. *Linguis suis dolose agebant*, id est, non solum verba turpia, sed etiam dolosa loquuntur, *venenum aspidum sub labiis eorum*, id est, non solum turpia et dolosa, sed etiam venenata et inficientia, atque ad malum provocantia verba effundunt. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, id est, homines isti perditionem non solum maledicunt, et amarum contentionibus iurgantur, sed etiam malefaciunt, et reipsa nocent. Nam quorum os plenum est maledictione et amarum comminationibus, eorum pedes velocissime currunt ad laedendum et occidendum. *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, id est, omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, calamitate afficiendum spectant. Siquidem *pacis viam*, id est studia pacifica, omnino ignorant. *Non est timor Dei ante oculos eorum*: hic est fons omnium ditorum malorum, quia timorem Dei plane abiecerunt.

8. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* Vox est increpantis, quasi dicat: Nunquid semper erunt insipientes? nunquid non aperient aliquando oculos? nunquid tandem non incipient cognoscere impii illi, *qui devorant plebem meam*, populum mihi commendatum spoliunt, ea aviditate, qua a famelico frustum panis devoratur? Ita Bellarm., Le Blanc, Tirin. et alii.

9. *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* David rationem reddit, cur impii tanta mala faciant, quia videlicet Deum *non invocaverunt*, id est, spem suam in Deo vero non posuerunt, sed in rebus creatis, et ideo *illic trepidaverunt, ubi non erat timor*, id est, non cognoscentes, in quo sit sperandum, et a quo sit timendum, trepidaverunt, ne incurrerent mala, vel ne amitterent bona temporalia, quae non sunt materia iusti timoris.

10. *Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes eius est.* Impii timuerunt, ubi non erat timor, *quoniam Dominus in generatione iusta est*, id est, sicut impii Deum non invocaverunt, nec in illo speraverunt, ita Deus eos deseruit, et in generatione iustorum manet: deserti autem a Deo, a luce vera, in tenebris ambulant, et ideo timent etiam ubi non est causa timendi. Deinde facit apostrophem ad ipsos impios, dicens: *Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est*, quasi dicat, adeo vos excaecati estis, ut non solum non invocetis Deum, sed irrideatis eos, qui hoc faciunt. Nam *consilium inopis*, qui totus a Deo pendet, vos *confudistis*, id est, irrisistis, ut inopem erubescere faceretis, quasi stultum sit in Deo spem ponere. Irrisistis autem inopis consilium quasi stultum, *quoniam Dominus spes eius est*, id est, quia ille pauper in Domino spem posuit.

11. *Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob et laetabitur Israël.* Orat Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum a captivitate diabolica, in qua erant omnes illi excaecati et perversi, quorum tenebras et malitiam toto psal-

quod in eo monte erat: sed revera per haec nomina significat coelestem Ierusalem, ubi est tabernaculum Dei non manufactum; praedicabatur enim regnum coelorum per huiusmodi figuras, uti habetur Hebr., capitibus 8, 9 et 12; Apoc. 14 et 21: Quaerit igitur, quis sit habitaturus, id est, stabili mansione potiturus in tabernaculo coelesti? aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis: cum supra illum nihil sit. Hic autem in terris, neque stabilis mansio, neque vera requies esse potest.

2. *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* Haec est compendiosa et summaria responsio; q. d. Qui declinat a malo, et facit bonum. Dicitur *ingredi sine macula*, qui ambulat in via huius vitae, sive qui vivit sine culpa lethali; veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dicitur, *operari iustitiam*, qui facit omnia ad quae tenetur, non timore poenae, sed amore iustitiae.

3. *Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.* Explicat magis in particulari, quis habitaturus sit in tabernaculo Domini, ac dicit illum esse, qui neque corde, neque ore, neque opere malum facit. De corde dicit: *qui loquitur veritatem in corde suo.* Nam omnis, qui res temporales pluris aestimat quam valeant, non loquitur veritatem in corde suo, et quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia iudicat id sibi expedire, quod revera sibi non expedit. Ita omnia peccata cordis reduci possunt ad falsum iudicium, tanquam ad radicem. De ore dicit: *qui non egit dolum in lingua sua;* nam de- tractiones, adulationes, et alia id genus linguae peccata ad dolum revocari possunt. De opere se- quitur:

4. *Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.* 5. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.* Non solum non fecit ipse malum, qui habitaturus est in tabernaculo Domini, *nec fecit proximo suo malum*, sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent, ideo *non accepit opprobrium adversus proximos suos*, id est, non admisit ad aures suas vituperationes, detractiones, susurrationses, calumnias contra proximos, et non favit unquam malignis, sed eos contempsit, et pro nihilo duxit: contra autem glorificavit, honoravit, iuvit viros bonos, qui Deum timent.

6. *Qui iurat proximo suo, et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.* In particulari attingit vitium unum, videlicet avaritiam, quo praecipue carere debet, qui cupit haeres fieri regni coelestis. Avaritia autem locum habet vel in fraudibus, quae committuntur in contractibus alioqui licitis, vel in contractibus ex genere suo illicitis, vel in muneribus. De primo genere dicit: *qui iurat proximo suo, et non decipit*; de secundo: *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*; de tertio: *et munera super innocentem*, id est, ad opprimendum innocentem, *non accepit*.

Hic quaeri potest, cur David tantum hoc vitium particulare, videlicet avaritiam, attingat. Respondet Bellarm. causam esse, vel quia *radix omnium malorum est cupiditas*, ut ait apostol., et per cupiditatem intelligit avaritiam: vel quia hoc vitium semper fuit et est familiare iudaeis.

7. *Qui facit haec, non movebitur in aeternum.* Respondet quaestioni in primo versu propositae, et dicit, eos, qui ita vivunt, ut hic expositum est, ha-

bituros firmissimam in coelesti tabernaculo mansionem. Itaque ait, *qui facit haec*, quae supra dicta sunt, *non movebitur in aeternum*, id est, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac requiescet in monte sancto eius sine ullo timore cadendi a tam felici loco.

PSALMUS XV.

Synopsis

Christus orat Patrem, ut se a malis praeservet ac protegat. gratias dein agit de sua resurrectione et glorificatione. Porro de Christo et non de Davide, intelligendum esse psalmum patet Actor. 2 et 13, ex omnium Doctorum sententia.

Quod psalmi huius titulum attinet, obscurissimus est; sic enim sonat: *Tituli inscriptio ipsi David*. Graece habetur: *Stylographia*, id est, inscriptio columnae, q. d. Psalmus hic est quasi trophaeum, et quasi columna seu titulus victoriae erectus et inscriptus Christo, filio David, post devictum peccatum, diabolum et mortem. Ita Euseb., Theodoret. et Didymus.

1. *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino: Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Loquitur Christus, et sic dicere potest quilibet Christianus: *Conserva me, Domine*, id est, custodi ac protege me ab imminente tribulatione, *quoniam speravi in te solo*, non in ulla re creata. Quod autem in te solo speraverim et sperem, ex eo cognosci potest, *quoniam dixi Domino*, confessus sum tibi, Domine, ac dixi ex corde: *Deus meus es tu*, id est, supremus Dominus meus, *quoniam bonorum meorum non eges*, sed ego bonis tuis indigeo, id est, tu nulla ratione a me dependes, sed ego a te in omnibus pendeo: ideo tu solus verus et

summus Dominus meus es, et quia ego hoc cognosco et confiteor, ideo in te solo spero. Haec verba scripsit propheta in persona Christi pro eo tempore, quo Christus non solum homo erat, sed etiam passioni et morti obnoxius. Quamvis enim in Christo homine et passibili, non fuerit spes quae est virtus theologica, et respicit beatitudinem animae, ut s. Thomas docet 3 part., q. 7 a. 4, fuit tamen spes, ut significat fiduciam, et expectationem gloriae corporis et aliorum, quae nondum habebat: et de hac spe loquitur David

2 *Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Sensus hic esse videtur: Quia Deus honorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis eius. Cuius meae honae voluntatis ipse Deus mihi testis est qui *sanctis, qui sunt in terra eius, mirificavit*, id est, mirabiles reddidit *omnes voluntates meas in eis*, id est, charitatem et benevolentiam meam erga illos, nempe ut relictis angelis humanum corpus assumerem et pro ipsis in crucem et mortem me darem. Ita s. Aug. et alii. Porro Deus dicitur mirabilem reddidisse charitatem ac benevolentiam Christi erga electos, declarando illam tum per prophetas variasque figuras veteris testamenti, tum etiam per miracula ipsius Christi et apostolorum.

3. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.* Explicatur effectus benevolentiae Christi in homines, qui antea debiles erant ob vulnera peccatorum, ita, ut ambulare non possent, postea sanati per gratiam currere coeperunt viam mandatorum Dei. *Multiplicatae sunt*, inquit, *infirmitates eorum*, id est, aegritudines ac morbi spirituales; *postea acceleraverunt*, id est, antea infirmissimi erant, multiplicatis peccatis, sed postea

sanati per gratiam fortes effecti sunt, et ideo exultarunt ad currendam viam.

4. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Dicit Christus, sibi non placitura eorum sacrificia, quae sanguinis effusione constant. *Non congregabo*, inquit, *conventicula eorum de sanguinibus*, id est: Auctor non ero, ut eiusmodi coetus fiant, in quibus sacrificia cruenta, ut olim, celebrentur. Supplent Tirin. et Le Blanc ex Didymo, aliud enim solius Agni immaculati incruente immolandi sacrificium erit. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, imo talia sacrificia, ac coetus ne quidem amplius nominabo. Vel ut s. Aug. et Euseb. exponunt: Non ero memor nominum pristinorum, scilicet, an iudaei, an gentiles fuerint, quia novo nomine omnes vocabo christianos, sanctos et filios Dei.

5. *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* Quia dixerat se detestari idola et peccata, nec delectari sacrificiis et coetibus illis, addit pro ratione, omnia sua bona in solo Deo habere. Idem et nos pro modulo nostro sentire debemus. Dicit igitur: *Dominus pars haereditatis meae*, id est, pars quae mihi ex divisione haereditatis contingere debet, hoc est, quidquid omnino expecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia. Idem mox exprimit metaphora *calicis*, nam calix, qui dividi solebat inter convivas, pro haereditate accipitur, ut supra insinuatum fuit. *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, hoc additur, quia cum Christus adhuc mortalis haec diceret, nondum plene possidebat haereditatem: et nos, cum haec dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum reipsa posside-

mus. Possessio autem ista interim deposita est apud Deum, et ille eam nobis restituet in die novissimo, sicut Christo restituit in die resurrectionis eius. Huc alludit apostol., cum ait: *Scio, cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* II. Timoth. 1.

6. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi.* Similitudine ducta a terrena haereditate, declarat praestantiam haereditatis aeternae, quam habebunt, qui Deum solum eligunt. Siquidem funiculis mensurari solebant campi, qui ex haereditatis divisione obveniebant, et quia divisio sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in praeclaram partem cadere, quando pars haereditatis optima contingebat. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, id est, optimam haereditatem sorte felicissima consecutus sum; *etenim haereditas mea praeclara est mihi*, idem dicit aliis verbis.

7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Gratias agit Deo qui inspiravit ei consilium, et accendit in eo desiderium, ut tam praeclaram haereditatem eligeret. *Benedicam, inquit, Dominum*, id est, laudabo Deum, auctorem mihi tanti boni *qui tribuit mihi intellectum*, id est, qui me cognoscere fecit, et prudenter eligere. *Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Per *renes* in Scriptura intelligitur affectus et desiderium, unde sunt illa: *Scrutans corda et renes Deus*, et *Probor meum et renes meos*, ubi per cor intelligitur cogitatio, per renes affectio; *per noctem* intelligitur tempus tribulationis, sicut per diem tempus prosperitatis; per verbum *increpuerunt* significatur potius eruditio, quam reprehensio. Adeoque sensus hic est:

Insuper et usque ad noctem etc., id est, non solum tempore prosperitatis, sed praeterea usque ad tempus adversitatis, et in ipsa adversitate affectus meus in Deum accensus erudivit me excitans, et adhortans ad passionem aequo animo subeundam, ac semper de Deo bene sperandum.

8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Ex intellectu et affectu bono, de quo in praecedente versu Deum laudavit, profectum est, ut semper Deum ante oculos haberet. In hebraeo habetur: *Posui Dominum in conspectu meo semper*, ex quo clarius declaratur, Christum studiose egisse, ut semper Dominum praesentem haberet, *quoniam a dextris est mihi ne commovear*, id est, nec falsa mea cogitatio fuit, qua Dominum mihi ante oculos cordis semper praesentem ponebam, nam vere a dextris mihi semper est, tanquam tegens latus meum, meque praecedens ut adiutor fortis, ne commovear de gradu meo, sed persistam et perseverem usque in finem.

9. *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe.* Explicat nunc tandem haereditatem praeclaram quam Deus restituet sibi et aliis, qui Dominum elegerunt. *Propter hoc*, id est, quia Dominus a dextris est, mihi adiutor et protector fidelissimus *laetatum est cor meum*, laetitia vera et solida, de qua Dominus in Evangelio: *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et exultavit lingua mea*, quia gaudium internum redundare sollet etiam exterius. *Insuper et caro mea requiescet in spe*, id est, animus laetabitur, et caro obdormiet in morte placida et segura, ob certam expectationem celerrimae resurrectionis.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quamvis proprie de solo Christo haec dicantur, cuius anima non est relicta apud inferos, in limbo videlicet sanctorum patrum: neque caro in sepulcro experta est ullam putrefactionem: tamen nos omnes haec dicere possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo, ut ait Apostolus, Ephes. 2, conresuscitavit nos Deus; tum quia animae nostrae non relinquentur in inferno, id est, in purgatorio, neque caro nostra videbit aeternam corruptionem.

11. *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.* Hic exponit perfectam haereditatis promissionem. *Notas*, inquit, *mihi fecisti vias vitae*, id est, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem. Metaphora est pulcherrima, per quam modus per se resurgendi dicitur via usque ad illum diem ignota, quia nullus unquam per se resurrexit, Christo excepto. Nec solum ait: docuisti me resurgere ex mortuis, sed etiam *adimplebis me laetitia cum vultu tuo*, gloriosum, immortalem, beatum faciens me vultum tuum mihi ostendendo. Nam ex visione Dei, in qua consistit beatitudo essentialis, redundat etiam gloria in corpus, qua sola Christus carebat, gloriam enim animae a conceptione habuerat. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Nec solum gloriosum me facies, sed ad dexteram tuam collocabis in coelis, ubi delectationes sunt sine ullo fine. Haec omnia etiam electis suo modo conveniunt, quibus Deus ostendit vias vitae, cum legis observationem docuit esse viam ad regnum coelorum. Eisdem adimplet laetitia cum vultu suo, cum eis se videndum exhibet facie ad faciem, et

demum delectationes sine fine eis praebebat dextera sua, cum eos ad dexteram partem collocat, et cum dextera manu sua, tanquam inexhausto fonte bonorum, eos indesinenter delectationibus replet.

PSALMUS XVI.

Synopsis

Hic psalmus, ut ipse titulus, Oratio David, indicat, est oratio iusti persecutionem iniuste patientis, qua precatur a Deo liberationem: ducit autem argumenta primum a innocentia sua; secundum, a iustitia Dei; tertium, a eiusdem misericordia; quartum, a malitia impiorum iustos persequentium.

1. *Exaudi, Domine, iustitiam meam: intende deprecationem meam.* 2. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.* Primum orat exaudiri iustitiam suam; nam apud iustum iudicem magis clamatur causa, quam persona. Addit deinde ac postulat attendi etiam deprecationem suam, quia Deus non solum iustitiam sed etiam iustos diligit, et, ut sicut Iacobus ait: *Multum valet oratio iusti.* Postremo coniungit utrumque, iustitiam et deprecationem. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis*, id est, exaudi orationem meam, quae non prodit ex labiis dolosis, sed in iustitia nititur.

3. *De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant aequitates.* Alterum argumentum petit a iustitia Dei, q. d. Te appello, Domine, a te iudicari volo, qui es iudex iustissimus. *De vultu tuo*, id est, ab ore tuo *iudicium meum prodeat*, id est, sententia pronuntiatur, *oculi tui videant aequitates* id est, noli claudere oculos et dissimulare calu-

mnias impiorum , sed aperi oculos , et considera quid iustitia exigat.

4. *Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Reddit causam, cur velit a Deo iudicari: quia videlicet ipse solus scrutatur corda, et perfecte novit innocentiam servorum suorum. *Probasti, inquit, cor meum,* id est, tentasti qualis sim intus ubi nemo videt praeter te, experimentum de mea sinceritate fecisti. Quomodo autem id fecerit, declarat, dicens: *Visitasti nocte, et, igne me examinasti.* Nam duo sunt tempora, quibus apparet, quid sit in corde: occasio occulte agendi, et tempus tribulationis. Multi enim interius mali, exterius boni, si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum ne detegantur, tunc malitia se prodit. Sic quoque tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis, sed cum ignis persecutionis advenerit, tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit, *Visitasti nocte,* id est, cum in occulto occasiones peccandi habui. De secundo vero, *igne me examinasti,* id est, ardente tribulatione, *et non est inventa in me iniquitas.*

5. *Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Dicit ex eo factum esse, ut Deus in eo non invenerit iniquitatem, quia custodierit vias duras iustitiae propter praecepta Dei, non ob aliquam spem humanam; nam qui solum propter Dei mandatum viam iustitiae custodiunt, id faciunt interius et exterius, atque ideo nulla in eis iniquitas invenitur. Ait igitur: *Ego custodivi vias duras,* id est, permansi in via iustitiae, quamvis aspera et dura, neque me ulla tribulatio ab ea via declinare fecit. Permansi autem in hac via *propter verba labiorum*

tuorum, id est, propter mandata tua, sive propter promissiones, et minas tuas, *ut non loquatur os meum opera hominum*, id est, ut non cogar implorare humanam opem, neque a spe humana pendeam, neque laudem opera hominum.

6. *Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.* Agnoscens non suis viribus, sed auxilio Dei se permansisse in angusta semita iustitiae, rogat Deum, ut confirmet hoc beneficium. *Perfice gressus meos in semitis tuis*, id est, confirma, et stabili gressus meos in hac via tua, ne forte declinem ab ea, si tuo adiutorio destituar.

7. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus. inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.* Exposito argumento ab innocentia sua, et iustitia Dei, repetit orationem initio propositam, et ait: *Ego clamavi ad te, Domine, quoniam exaudisti me*, id est, cum fiducia clamavi, quoniam semper alias exaudisti me, et ideo pro solita benignitate nunc etiam inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

8. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* Hoc est argumentum tertium, quod sumitur a misericordia Dei: q. d. Exposui innocentiam meam, appellavi iustitiam tuam, invoco nunquam misericordiam, quoniam etsi me innocentem existimen a crimine, ob quod tribulationem patior, tamen sunt alia fortasse peccata, ob quae iuste puniri possem. *Mirifica ergo misericordias tuas*, id est, ita manifeste exerce misericordias tuas in me liberando, ut omnes mirentur. Tuum est enim salvos facere omnes, qui in tua misericordia sperant suam repositam habent.

9. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.* Sensus est: *Custodi me ut pupillam oculi*, id est, maxima diligentia, a resistentibus dexte

rae tuae, id est, ab impiis hominibus, qui resistunt dexteræ tuæ vel laedendo quos tu protegis, vel non ambulando quo tu ducis. Illud *ut pupillam oculi*, similitudo aptissima est, quoniam pupilla est simul res pretiosissima et infirmissima, et ideo diligentissime custodiri solet, et ab ipsa natura munita est, tum variis tunicis, tum etiam palpebris et pilorum vallo.

10. *Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie impiorum, qui me affligerunt.* Id ipsum repetit alia similitudine: sicut enim pulli teguntur alis gallinae, et eo modo obumbrantur, et securi delitescunt, ut non laedantur a milvis; sic optat iustus protegi divino auxilio a persecutoribus suis. Illud *a facie impiorum*, significare potest, a conspectu impiorum: alae siquidem, dum pullos tegunt, faciunt, ne videantur a milvis. Item a morsu, vel ab ira impiorum, dentes enim in facie sunt, et ira demonstratur in facie.

11. *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluderunt, os eorum locutum est superbiam.* Est hoc argumentum postremum quod sumitur a malitia inimicorum. *Inimici mei*, inquit, *animam meam circumdederunt*, id est, vitam meam sive me ipsum undique premunt. *Adipem suum concluderunt*, id est, nulla misericordia moventur, etiamsi me videant ad extrema redactum; nam *adipem concludere* significat *viscera claudere*, hoc autem, non misereri, ut constat ex I. Ioan. 3. *Os eorum locutum est superbiam*, id est, non solum non miserentur, sed etiam arroganter insultant.

12. *Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.* Pergit narrare nequitiam inimicorum, et ait, eos modo unam viam aggredi, modo contrariam, sic tamen, ut

semper noceant. *Proiicientes me nunc circumdederunt me*, id est, cum antea proiecissent me a suo consortio, ne fruerer communibus bonis; nunc iterum quaerunt me, et circumdant, ut malis afficiant. Sed huius malitiae ipsorum causa est, quia *oculos suos statuerunt declinare in terram*, hoc est, firmiter decreverunt, non aspicere ad Deum, qui est in coelo, nec timorem ullum Dei admittere, sed solum terram intueri, et terrena sectari.

13. *Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.* Non solum, inquit, circumdederunt me, sed crudelissime in me saevierunt, *susceperunt enim me* ea aviditate et saevitia, qua *leo paratus ad praedam* suscipit occurrentem sibi oviculam. Idem repetit per verba sequentia, *et sicut catulus leonis habitans in abditis*, sive latens in insidiis suscipit praedam occurrentem.

14. *Exurge, Domine, praeveni eum, et supplantata eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.* Explicata malitia persequentium, rogat Deum, ut adsit et liberet ipse, qui solus potest. *Exurge, Domine*, non amplius differas auxilium, *praeveni eum*, scilicet impium, qui instar leonis me rapuit, ad devorandum; praevendentes eius, ne eos in me infigat et occidat. *Supplantata eum*, id est, decipe eum, mirabili providentia tua efficiendo, ut dum putat se dentes infigere in carnem iusti, infigat in carnem propriam. *Eripe animam meam ab impio*, id est, ne sinas me occidi ab impio saeviente more leonis, sed libera et salva me. *Frameam tuam ab inimicis manus tuae*, subintelligitur *eripe*, ut sensus sit: Eripe animam meam ab impio, ac ut hoc facias, eripe frameam tuam, id est potestatem affligendi, *ab inimicis ma-*

nus tuae, id est, ab iis qui ea non bene utuntur, qui sunt inimici manus tuae, ac per hoc non sequuntur directionem manus tuae, sed contra eam abutuntur potestate a te illis concessa.

15. *Domine, a paucis de terra divide eos in vitam eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Est praedictio per modum imprecationis. Praedicit enim futurum, ut dividantur impii a iustis, et impiis quidem sola temporalia tribuantur, iustis vero etiam aeterna. *Domine, a paucis de terra divide eos*, id est, separa multitudinem impiorum a pusillo grege tuo, *in vitam eorum*, id est, non solum in vita futura, sed etiam in praesenti, quae proprie est vita ipsorum, quam ipsi videlicet solum agnoscunt et amant. In hoc autem divisio consistit, quod *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, id est, de bonis terrae a Deo creatis et conservatis, et quae veluti de thesauro abscondito singulis annis emanant, adimpleant ventrem suum, et hanc partem suam esse dicunt.

16. *Saturati sunt filii, et demiserunt reliquias suas parvulis suis.* Hoc est, filii abundant, et iis post mortem suam relinquunt bona, quae ipsis supersunt; haec enim censetur a filiis huius saeculi perfecta felicitas, si et ipsi bonis terrenis circumfluant, et filios suos bonorum suorum relinquunt haeredes.

17. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.* In hoc inquam, divisio consistit, quod illi saturari cupiant in hac vita bonis terrenis; *ego autem*, ut etiam caeteri iusti, in hac vita iustitiam esuriam: et in alia, gloria et beatitudine satiabor. *In iustitia apparebo conspectui tuo*, id est, iuste coram te vivere studebo, *satiabor cum apparuerit gloria tua*, id est, sicut nunc

tibi apparebit iustitia mea, ita postea mihi apparebit gloria tua, et tunc demum vere satiabor, nihil amplius expetens.

PSALMUS XVII.

Synopsis

Titulus huius Psalmi: In finem, puero Domini David, qui locutus est Domino verba canticum huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, et de manu Saul, et dixit: *Hic, inquam, titulus indicat, psalmum hunc a Davide (qui se puerum, id est servum, ut vertit S. Hier., vocal) compositum fuisse in gratiarum actionem, quando liberatus fuit ab omnibus inimicis suis, et potissimum a Saule qui nominatim ea de causa exprimitur. Habetur hic idem psalmus in L. II. Reg. c. xxii, paucis mutatis: mutatio autem ista an ab ipso David, vel ab Esdra fuerit facta, incertum est. Porro cum David figuram Christi gesserit, potest hic psalmus etiam de Christo recte intelligi.*

1. *Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* Dicit: Merito te diligere debeo, id enim significat *diligam te*, cum tot beneficiis me tibi devinxis. Exponit deinde beneficia a Deo accepta, ac primum unico verbo, tum pluribus nominibus, demum rerum gestarum enarratione. Unico verbo exponit, cum ait: *Fortitudo mea*, id est causa totius roboris mei, quod de hostibus omnibus meis triumphavi. Quod autem uno verbo dixit, explicat per partes, dicens *firmamentum, refugium et liberator*, q. d. merito dixi Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, et liberator

meus. Cum in tuto sum, ipse mihi est firmamentum, cum in periculo versor, ipse mihi refugium praebet, cum hostes persequuntur, ipse liberat.

2. *Deus meus, adiutor meus, et sperabo in eum.*

3 *Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.* Ex vehementia affectus in Deum repetit, et inculcat epitheta benefactoris sui. Respondent autem tria haec: *Adiutor, protector et cornu salutis*, tribus illis, *firmamentum, refugium et liberator.* *Cornu salutis* significat robur ad salvandum, metaphora hic sumpta ab animantibus cornigeris, quorum robur et gloria est in cornibus, saepe utitur Scriptura divina. Dicitur igitur Deus cornu salutis Davidi, et omnibus iustis, quia iusti robustissimi sunt contra omnes hostes, sed robur eorum non in viribus propriis, sed in Dei adiutorio et favore consistit. Illud *suscceptor meus* est nomen complectens omnia alia, et respondet primo illi vocabulo *fortitudo mea*; quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

4. *Laudans invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero.* Est haec quasi conclusio quaedam superiorum verborum: q. d. Ego deinceps assidue Deum laudabo pro tot beneficiis, et magna fiducia in tribulationibus meis, eundem Deum invocabo, et sine dubio a quibuscumque hostibus liberabor.

5. *Circumdederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* 6. *Dolores inferni circumdederunt me; praeoccupaverunt me laquei mortis.* Iam incipit enarrare accepta beneficia. Ac primum dicit, se quondam fuisse in apertissimo periculo vitae, quando videlicet Saul eum quaerebat, ut interficeret. Sed hoc periculum poëtica describit, adhibitis variis metaphoris. *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, undique talia pericula me op-

presserunt, ut de salute corporali desperarem; et ideo tali dolore, sive moerore animi affectus fui, quali affici solent, qui agonizant. Ita Theodor. et alii. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, id est, inde periculum et dolor, de quo dixi, proficiscebantur, quod multitudo iniquorum instar torrentis me invaserant, quomodo conturbari solent, qui a torrente aquarum deferuntur, et circumvolvuntur. *Dolores inferni circumdederunt me*; repetit, quod dixerat, *circumdederunt me dolores mortis*, idem enim est hoc loco dolor mortis et dolor inferni. Nam ante passionem Christi pro eodem accipiebatur mori, et ad infernum descendere. *Praecipaverunt me laquei mortis*: vocat laqueos mortis insidias inimicorum, quibus petebatur ad mortem. Itaque horum versuum sensus est: Davidem occupatum fuisse ingenti dolore ob imminens mortis periculum, tum ex invasione manifesta inimicorum instar torrentis violenter rapiantis, tum ex insidiis hostium, instar laqueorum incautos capientium.

7. *In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.* 8. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.* Dixerat, se in maximo periculo constitutum fuisse; nunc dicit se confugisse per orationem ad Deum, et exauditum fuisse. *In tribulatione mea*, id est, in illis angustiis, *invocavi Dominum*, in quo tota mea fiducia posita esse solet. *Et ad Deum meum clamavi.* Repetitio familiaris est Davidi, ut dictum supra, *et exaudivit de templo sancto suo, etc.* Id est, oratio mea pervenit usque ad summum coelum, quod est templum Dei non manufactum, quod violari, pollui nulla ratione potest. *Et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius*, id est, et oratio mea magno

affectu prolata, et in conspectu eius effusa, exaudita est.

9. *Commota est, et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis.* Incipit iam describere effectum exauditionis divinae, qui fuit auxilium de coelo adversus inimicos suos. Iram Dei autem adversus hos describit more poëtico: sicut enim dum irascitur rex aliquis, et bellum parat, totum eius regnum turbatur; ita cum irascitur rex totius mundi, totus mundus turbatur, ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aër et aqua. Incipit ab elemento terrae, et ait: *Commota est, et contremuit terra, etc.*, id est, quando Deus irascitur terrae, continuo tota movetur et contremiscit, non solum in superficie, sed usque ad ima montium fundamenta. Porro non significat David hoc loco, reipsa ad sui defensionem talia contigisse, sed usque ad v. 20, poëtica hypotyposi depingit iram Dei quasi pugnantis contra hostes suos, et quod saepius his armis soleat uti. Ita Theodoret. Allegorice significantur prodigia in coelo et in terra partim in morte et resurrectione Christi, partim in occasu mundi, uti notat s. Athanasius.

10. *Ascendit fumus in ira eius: et ignis a facie eius exarsit; carbones succensi sunt ab eo.* Pergit explicare operationem Dei irati in terra; non enim terram solum tremere facit, sed etiam si libuerit, ardere. *Ascendit fumus in ira eius*, id est, ira Dei excitavit in terra calorem vehementem, unde ingens fumus ascendit, *et ignis a facie eius exarsit*, non tantum calorem et fumum, sed etiam incendium magnum excitavit, *carbones succensi sunt ab eo*, id est, ira Dei, sive facies Dei terram respiciens ita feci. eam ardere, ac si totum in carbones ardentis convertisset.

11. *Inclinavit coelos et descendit: et caligo sub pedibus eius.* Transit a terra ad aërem; et describit ea quae sunt in aëre, quando Deus iram, vel praesentiam suam demonstrare vult. Dicitur Deus inclinare coelos, quando demittit nebulam, in qua ipse apparet, *et caligo sub pedibus eius*, id est, ita Deus in nebula habitavit quasi caliginem sub pedibus haberet; sunt omnia metaphorica, ex quibus intelligimus, Deum invisibiliter praesentem nobis se facere.

12. *Et ascendit super Cherubim et volavit; volavit super pennas ventorum.* Pergit describere operationem Dei in aëre, quando iram suam vult hominibus manifestare. Ponit autem Deum nobis ante oculos, quasi hominem armatum insidentem currui velocissime discurrenti, et ex eo sagittas in hostes suos emittentem. Currus Dei sunt nubes; equi velocissimi sunt venti, qui nubes huc illucque deferunt; aurigae sunt angeli, quos Cherubim vocat: sagittae sunt fulgura et fulmina, quae ex nubibus iaciuntur. Itaque dicitur Deus ascendere super Cherubim, et volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio angelorum in movendis nubibus, quae sunt veluti currus aërei et velocissimi, quippe qui trahuntur a ventis, veluti equis pennigeris, ac per hoc non ambulant, sed volant, et volant celerius omni volucre.

13. *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Est etiam in his verbis elegantissima et poëtica metaphora. *Posuit tenebras latibulum suum*, id est, latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito; sive effecit, ut nubes tenebrae pro latibulo sibi servirent. *In circuitu eius tabernaculum eius*, id est, eadem nubes sunt quasi ta-

bernaculum Deo, quo ipse undique tegitur. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*, id est, tabernaculum de quo dixi, nihil est aliud, nisi nubes tenebrosa, qualis est, cum est disposita proxime, ut in aquam vertatur; tunc enim est nubes valde densa et aquea, ut non improprie aqua dici possit in nube existens.

14. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis.* Declarat, quomodo Deus ex nubibus quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit iubente Deo nubem scindi, et inde prodire grandinem, et fulgura instar carbonum ignitorum. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt*, id est, a fulgore Dei praesentis concussae nubes, in conspectu eiusdem Dei, transierunt disruptae et dissolutae. *Grando et carbones ignis*, supplendum est, ex ea scissura processerunt grandines et fulgura.

15. *Et intonuit de coelo Dominus et Altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis.* Idem repetit aliis verbis; ex nubibus dissolutis oritur fragor ingens qui dicitur tonitru, cum quo saepe fulmina solent esse coniuncta. Fragorem illum eleganter vocat propheta vocem Dei, non solum quia Deus est causa fragoris illius, sed etiam quia tam ingens et tam terrificus est sonus ille, ut soli Deo tribuendus videatur, quasi propria vox eius. *Grando et carbones ignis*, oportet hic iterum aliquid subintelligere, ut sensus sit, *Altissimus dedit vocem suam*, ex qua voce processit etiam grando, et fulmina quasi carbones igniti.

16. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit et conturbavit eos.* Explicatio est superiorum, ac praesertim illius: *carbones ignis*, q. d. carbones ignis prodierunt ex nubium scissione, quia Deus misit sagittas suas, id est, fulgura, eaque

152
PSALMUS XVII.
*multiplicavit, et eo modo inimicos suos dissipavit
et conturbavit.*

17. *Et apparuerunt fontes aquarum et revelata
sunt fundamenta orbis terrarum.* Hic iam loquitur
de operatione Dei in aquis, quae operatio est mi-
rabilis, et repentina exsiccatio aquarum, qualis fa-
cta est in mari rubro, et Iordane flumine, ut ha-
betur Exod. c. xiv, et Ios. iv, ex qua exsiccatione
patuit profundum maris, et fluminum. Sensus igitur
est: *Et apparuerunt fontes aquarum*, id est, iussu
Dei siccatis aquis, apparuit fundus fontium et flu-
minum, sive etiam maris, et sic *revelata* sive dis-
cooperta fundamenta, id est, partis imae orbis ter-
rarum.

18. *Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione
spiritus irae tuae.* Explicat causam exsiccationis a-
quarum. Apparuerunt, inquit, fontes seu decursus
aquarum *ab increpatione tua, Domine*, id est, quia
tu, Domine, increpasti aquas, et illae continuo dis-
paruerunt. *Ab inspiratione spiritus irae tuae*, quo-
modo Deus increpaverit aquas, hac metaphora ex-
plicat, et ventum, cuius ministerio siccatae sunt
aquae, vocat spiritum irae Dei, et increpationem
Dei; nam vento urente siccatae fuisse aquas Rubri
maris a Deo, testatur c. xiv Exod. Itaque, quod
proprie dici poterat, tu Domine, immisso vento ve-
hementi, siccasti aquas maris, dicit metaphorice.

19. *Misit de summo, et accepit me, et assumpsit
me de aquis multis.* Iam redit ad beneficium Dei
enarrandum, id est, ad liberationem suam ab ini-
micis: Omnia enim quae dicta sunt a v. 9, perti-
nent ad declarationem potentiae Dei. Et quia dixe-
rat initio, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me*:
et in v. praecedente dixerat, Deum spiritu suo sic-
care solitum aquas et facere, ut appareat fundus

fluminum et maris, ideo in eadem metaphora persistens, dicit: *Misit de summo, et accepit me*: id est, misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, et inde accepit me; et sic eduxit me *de aquis multis*, id est, oppressum tribulationibus mirabiliter liberavit.

20. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.* Quod supra metaphorice dixerat, iam verbis propriis dicit. Illud, *quoniam confortati sunt super me*, vertit s. Hieronymus per tempus imperfectum, id est, quoniam robustiores me erant: redditur enim ratio, cur necessarium fuerit auxilium Dei potentius, quia videlicet inimici Davidis, ipso Davide fortiores erant.

21. *Praevenerunt me in die afflictionis meae: et factus est Dominus protector meus.* Inculcat aliis beneficium Dei. *Praevenerunt me in die afflictionis meae*, id est, nullis iniuriis a me lacessiti, ipsi primi fuerunt ad nocendum, vel, antequam praecavere possem, me adorti sunt, praeveneruntque incautum; sed Dominus pro me vigilavit, meque protexit, ut eorum diligentia nihil mihi nocere posset.

22. *Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.* Iterum, atque iterum repetit liberationem suam, ut ostendat sibi alte in memoria infixum Dei beneficium. *Eduxit me in latitudinem*, id est, de angustiis tribulationum liberatum, quasi in latum campum eduxit, ut libere iam excurrere possim sine metu. *Salvum me fecit quoniam voluit me*, id est, salvum me fecit a tot imminentibus periculis, et id potissimum, quia complacuit ei, sive ob immensam misericordiam, qua me dilexit.

23. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* 24. *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* 25. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: et iustitias eius non repuli a me.* 26: *Et ero immaculatus cum eo; et observabo me ab iniquitate mea.* 27. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.* Laudavit Deum de beneficio liberationis ab inimicis; hic addit etiam in futurum se liberandum; neque id ex sola misericordia, sed etiam ex iustitia futurum propter ea, quod iuste vixerit, et vivere deinceps in animo habeat. *Et retribuet mihi secundum iustitiam meam*, id est, retribuet mihi, ut hactenus fecit, multa bona, prout iustitia mea meretur. *Et secundum puritatem manuum mearum, etc.*, id est, sicut ego iustitiam habeo non solum in corde, sed etiam in manibus, id est, iustus sum interius et exterius, iustum habeo cor, et iusta opera, etc. Quaeri hic potest, quomodo David hoc loco verum dixerit? nam cum haec diceret, commiserat adulterium et homicidium. Omissis variorum opinionibus respondetur ex Bellarmino, Davidem commemorare iustitiam suam, quae in eo sita erat, ut sincero corde Deum coleret, et propositum stabile haberet nunquam praevaricandi legem Domini, et si forte secus ageret continuo, resipisceret, et ex corde reverteretur ad Deum.

28. *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.* 29. *Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Reddit rationem, cur secundum iustitiam suam retribuendum a Deo dixerit, quia nimirum Deus reddit unicuique secundum opera sua. Alloquitur autem ipsum Deum, et

ait: *Cum sancto sanctus eris*, id est, cum homine misericorde et pio, pie et misericorditer ages, *cum innocente innocens eris*, id est, qui nemini nocet, Deus se innocentem praebebit, id est, non ei nocet, neque noceri ab aliis sinet. *Cum electo electus eris*, id est, cum homine sincero et puro, sincere et candide ages, *et cum perverso perverteris*, id est, ages cum eo quoque perverse, id est, male et severe, morem tibi proprium, qui est misereri et benefacere, invertens, quia ipse ab eo qui esse deberet, inversus est. Ita Chaldaeus, Hieronymus, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus, Le Blanc, et alii.

30. *Quoniam tu populum humilem salvum facies; et oculos superbiorum humiliabis.* Explicat duos priores versus, q. d. cum sancto sanctus eris, etc., quia *populum humilem salvum facies*, id est, quia humilitas, quae est custos omnium virtutum, tibi gratissima est, et omnibus humilibus das gratiam; cum perverso autem perverteris, quia *oculos superbiorum humiliabis*, id est, quia superbia, quae est regina vitiorum, tibi summopere displicet, et ideo superbis omnibus resistis, eosque deiicis et humilias. Nominat autem oculos praeter caetera membra, quia in oculis, ac potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

31. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas.* Quia David videbatur satis magnifice de sua iustitia et puritate locutus, ostendit unde habuerit iustitiam et alia dona, et hinc maxime laudat Deum, quod ab illo sit lumen, et fortitudo, et omnia bona. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine*, id est, oculum interiorem cordis mei tu solus illustras, dando lumen ad discernenda vera bona a falsis, etc. *Deus meus, illumina tenebras meas*, id est, sicut hac-

tenus illuminasti oculos interiores cordis mei, ita perge illuminare tenebras meas, sive omnes tenebras meas expellere. Nam sine gratia Dei illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, merae tenebrae sunt in corde nostro.

32. *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.* Dixerat se a Deo habuisse lumen, quod est principium operum bonorum veraeque iustitiae; nunc addit se habuisse fortitudinem, et robur ad vitanda mala et facienda bona, quae ex divino lumine cognoverit vitanda vel facienda. *In te*, inquit, *eripiar a tentatione*, id est, fretus auxilio tuo, quo fortis efficior, superabo omnes tentationes, omniaque mala vitabo, *et in Deo meo transgrediar murum*, id est, eiusdem Dei confisus auxilio, atque ab eodem accepta fortitudine, omnia potero, quantumvis difficilia, quale esset transcendere altissimum murum.

33. *Deus meus, impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.* Dat rationem, cur a Deo acceperit lumen, et vires, cur in eo tantopere confidat, quia Deus bonus et verax protector est omnium in se confidentium. *Deus meus, impolluta via eius*, id est Deus qui sanctissimus est, et viam impollutam ambulat, id est, operatur iustissime. *Eloquia Domini igne examinata*, id est, promissa Domini certissima et probatissima, ut aurum igne examinatum. Iste ergo Deus impollutus, et cuius promissio est certissima, protector est omnium sperantium in se.

34. *Quoniam quis Deus praeter Dominum? aut quis Deus praeter Deum nostrum?* Est altera ratio, cur in Deo sit confitendum, et cur ab illo solo lumen et robur expectandum sit, quia ipse solus est verus Deus.

35. *Deus, qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.* Declarat nunc in particulari dona a Deo accepta, per quae ab hostibus omnibus liberatus ad regnum pervenit. Ac primum dicit, se a Deo accepisse robur et innocentiam, quae duo rarissime coniunguntur. *Deus, inquit, praecinxit me virtute, id est, viribus ac robore me donavit, et posuit immaculatam viam meam, id est, et simul probitatem vitae mihi concessit.*

36. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me.* 37. *Qui docet manus meas ad praelium, et posuisti, ut arcum aereum, brachia mea.* Describit in particulari fortitudinem suam similitudinibus utens, ac dicit: se accepisse a Deo miram celeritatem in pedibus, ut facile montes altissimos conscendere potuerit, et miram artem bellandi in manibus, et mirum robur in brachiis; de quibus nemo dubitare potest, qui legerit lib. I, et II. Regum, ubi de arte manuum testis est Goliath, de robore brachiorum testes sunt ursi et leones, quos David interfecit.

38. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuae; et dextera tua suscepit me.* Declarat nunc innocentiam, de qua etiam dixerat supra. Nam quia dono Dei David innocenter vivebat, ideo illum Deus assidue protegebat, ut nunc dicit: *Dedisti mihi protectionem salutis tuae.* Parum enim profuisset celeritas pedum, et robur brachiorum et ars pugnandi adversus Regem, et integrum eius exercitum, nisi adfuisset protectio salutis Dei, id est, protectio divina salvans, et dextera Dei suscipiens et sustentans.

39. *Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit.* Hoc etiam pertinet ad innocentiam, sive immaculatam viam Davidis osten-

dendam : Non solum, inquit, protectio tua mihi adfuit, sed etiam *disciplina tua correxit me*, id est, eruditio quae ex lege habetur, illa me direxit ne errarem, et si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta et considerata, *me correxit*, idque perseveranter usque *in finem*. Eadem quoque *disciplina* legis tuae deinceps *me docebit*. Potest etiam haec disciplina significare paternam castigationem, qua Deus per aliquas temporarias calamitates Davidem correxit, si quando ob humanam fragilitatem deliquit.

40. *Dilatasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata vestigia mea*. Pergit narrare victorias suas quae sunt beneficia Dei. *Dilatasti gressus meos subtus me*, id est, fecisti me magnis passibus progredi, et non sunt infirmata vestigia mea, id est, nec propterea fatigatus destiti a cursu.

41. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficient*. 42. *Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos*. Hic subintelligendum est, dixi, ut sensus sit: *Dilatasti gressus meos, etc.* Ideo magna spe concepta dixi apud me: *Persequar inimicos meos, etc.*

43. *Et praecinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me*. Id est, sicut apud me dixi: *Persequar inimicos meos, etc.*, ita factum est Deo adiuvante. Tu enim, Deus, *praecinxisti me virtute*, id est, robore ad bellum, et tu *supplantasti*, id est, cadere fecisti subtus me eos, qui in me insurgebant.

44. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti*. Idem repetit aliis et aliis verbis, ut magis declaret et laudet beneficium Dei Sensus autem perspicuus est, significat enim a Deo

factum esse, ut inimici David fugerent, et eo modo dorsum feriendum darent.

45. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Reddit aliam causam victoriae, quia Deus non solum exaudiebat orationes eius, sed non exaudiebat orationes adversariorum ipsius, quamvis ipsi quoque Dominum invocarent.

46. *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos,* q. d. Iam victoriam de inimicis meis retuli; sed si quae forte horum reliquiae supersunt, *comminuam eos* in minutissima frusta, et proiiciam, ut proiici solet pulvis a vento, et auferam eos de terra, ut siccari solet lutum platearum flante vento vehementi.

47. *Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.* Iam hoc factum erat; nam antequam hunc psalmum David componeret, liberatus fuerat a variis populi contradictionibus, et defectionibus, et constitutus erat in caput gentium, id est in regni solium elevatus. Itaque vel exponenda sunt verba futuri temporis pro praeterito, quod valde usitatum est in lingua hebraica, vel certe continuatio beneficii significatur, q. d. In posterum, uti hactenus fecisti, eripies me de contradictionibus, etc.

48. *Populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi.* 49. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* Non sine causa postulat se eripi etiam posthac a contradictionibus populi sui: quia maiorem fidem et obedientiam expertus erat in quibusdam gentilibus, quam in filiis populi Israël. *Populus quem non cognovi*, id est, gabaonitae, gethaei, et alii quos non cognovi pro fratribus, cum

essent gentiles, *servivit mihi, in auditu auris obedi-
vit mihi*, id est, promptissime mox audito imperio
obedierunt; *fili autem alieni*, id est, filii adulte-
rini quoad mores, *mentiti sunt mihi*, id est, dece-
perunt me, ficto corde servierunt, *inveterati sunt*,
id est, defluerunt a me tanquam folia arentia, ut
habetur in Hebraeo, *et claudicaverunt a semitis*, id
est, non recte et fideliter mecum incesserunt. Haec
significanc rebelliones sub Absalon, sub filio Bochri
et aliis.

50. *Vivit Dominus et benedictus Deus meus, et
exaltetur Deus salutis meae.* Concludit psalmum
Deum laudans. *Vivit Dominus*, id est, nunc appa-
ruit Deum vivere, et sicut vivit, ita semper vivat,
et exaltetur Deus, auctor salutis meae.

51. *Deus qui das vindictas mihi, et subdis popu-
los sub me, liberator meus de inimicis meis iracun-
dis.* Exaltetur, inquit, Deus, qui vindicavit iniurias
mihi factas, et subiecit mihi populos qui rebellave-
rant, et liberavit me de insidiis et impetu inimico-
rum furentium, quales fuerunt Saul et Absalom.

52. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a
viro iniquo eripies me.* Precatur sibi continuationem
divinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insur-
gentibus in se, ut frustra nitantur, cum pertingere
tam alte non possint, et liberari ab omni homine
iniquo.

53. *Propterea confitebor tibi in nationibus, Do-
mine; et nomini tuo psalmum dicam.* Hac de causa,
inquit, *confitebor*, id est laudabo confitens benefi-
cia tua, idque non clam, sed palam, et coram mul-
titudine populi, ut omnes discant confidere in Do-
mino.

54. *Magnificans salutes regis eius, et faciens mi-
sericordiam Christo suo David, et semini eius usque*

in saeculum. Huius conclusionis sensus est: Sit Dominus *magnificans salutes regis sui*, id est, augeat et multiplicet salutem corporis et animae, et omnium rerum regis, quem ipse Deus sibi elegit; et faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi iussit in regem, et omnibus successoribus eius usque in aeternum. Allegorice tamen haec omnia accommodanda sunt vero Christo Messiae, qui gentes suae fidei et Ecclesiae subiecit, et regnat, et regnabit in aeternum. Ita Theodoretus, Didymus, Hesychius, Bellarminus, et alii.

PSALMUS XVIII.

Synopsis

Ostendit, quod sol et coeli, uti et lex Dei sanctissima praedicent gloriam Dei. Potest idem psalmus exponi de Christo et Apostolis, ut facit S. Aug.

1. *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Tanta est maiestas coeli, ut inde maxime eluceat gloria Dei, qui coelum fecit. *Coeli enarrant, etc.* id est, prae caeteris operibus Dei, quae omnia artificem laudant, coeli sunt, qui sua magnitudine et pulcritudine gloriam Dei manifestam faciunt. *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum*, idem repetit aliis verbis, idem enim hic significant coeli et firmamentum, videlicet totum illud coeleste corpus in quo sunt stellae, et ipse etiam sol et luna.

2. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* Propheta artificio poetico fingit unum diem, peracto cursu et praedicatione sua, tradere diei sequenti verbum praedicationis; et noctem

quoque, peracto cursu, et quasi hymno cantato, tradere nocti sequenti munus canendi. *Dies diei eructat verbum*, id est, dies cum finitur, tradit alteri diei verbum laudis divinae, et *nox nocti indicat scientiam*, et nox similiter cum finitur, indicat, id est, annuntiat nocti succedenti scientiam laudandi Deum; sicque de die in diem, de nocte in noctem, id est, continuo coeli (suo aspectu, motu, et successione tam ordinata) loquuntur hominibus gloriam, potentiam, et sapientiam Dei. Ita Theodoretus, Bellarminus, Le Blanc, et alii.

3. *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*. Id est, praedicatione coelorum fit omnibus linguis, sive intelligitur ab omnibus nationibus, quia videlicet omnes vident pulcritudinem et praestantiam coeli, et inde venire possunt in cognitionem pulcritudinis et excellentiae Conditoris. *Non sunt loquelae neque sermones*, sive nulla sunt idiomata, *quorum idiomatum non audiantur voces eorum*, scilicet coelorum, id est, quae idiomata non exprimantur vocibus coelorum. Allegorice, apostoli omnium gentium linguis loquebantur magnalia Dei.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*. Hoc est, coeli non solum sine intermissione, et omnibus linguis, ut iam dictum est, sed etiam in universa terra audiuntur enarrantes gloriam Dei. Idem est, *in omnem terram, et in fines orbis terrae*, saepissime enim prophetae rem eandem bis repetunt. Porro s. Paulus citat hunc locum ad Rom. c. x, probare volens, praedicationem Christi ad omnes gentes pervenisse. Ex quo patet, per coelos, saltem in sensu allegorico, apostolos exponi.

5. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tan-*

quam sponsus procedens de thalamo suo. Quamvis totum coelum enarret gloriam Dei, tamen praecipue id facit pars nobilissima coeli, quae est sol. Proinde in sole, tanquam in parte totius mundi praestantissima, Deus quasi posuit tabernaculum suum. Probat autem propheta solis excellentiam tribus rationibus ductis a pulcritudine, a robore, a beneficentia. *Et ipse, inquit, tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, haec est ratio ducta a pulcritudine; ipse, ait, decorus, nitidus, ornatus exoritur, tanquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet.

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius.* 7. *Et occursus eius usque ad summum eius; nec est qui se abscondat a calore eius.* Altera ratio ducitur a robore et viribus, quod sine fatigatione, summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem. *Exultavit ut gigas*, vel ut fortis et robustus iuxta Hebr. *ad currendam viam.* Significatur, solem immensum coeli spatium velocissimo cursu, sine ulla fatigatione vel labore peragere, *a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Per summum coelum hic designatur oriens, et sensus est, solem exoriri ab oriente, et per occidentem, toto coeli ambitu decurso, ad orientem reverti. *Nec est, qui se abscondat a calore eius.* Haec est postrema ratio ab utilitate, quam capiunt omnia inferiora a sole, omnia enim calore fovet vivifico, et tam assidue et tam sollicite totum orbem circumit et visitat, ut res nulla se abscondat, id est, excludatur a participatione tam insignis beneficii. Haec omnia allegorice Christo applicantur.

8. *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans*

parvulis. Applicat nunc comparationem David, q. d. Pulcrum est coelum, pulcherrimus sol, lucidissimus et hominibus utilissimus: sed lex Domini multo pulcror, lucidior, et utilior. Ponit autem sex encomia legis divinae. Primum est, *lex Domini immaculata convertens animas*, id est, lex Domini pulcherrima est, utpote sine ulla macula, vel foeditate, et ideo, ubi considerata et perspecta fuerit, *convertens animas* ad se amandam, easque rapit consequenter ad Deum tam pulchrae legis auctorem. Alterum encomium est in illis verbis: *Testimonium Domini*, per quod intelligitur eadem lex quia lex testificatur hominibus, quae sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas poenas praeveraricantibus, et quae praemia observantibus praeparaverit, *fidele*, id est verax, non promittens vana vel falsa. *Sapientiam praestans parvulis*, id est, hominibus parvulis sensu dat lumen prudentiae, ut sciant bona opera facere et peccata vitare.

9. *Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Tertium encomium divinae legis est, quod posteaquam coepit amari et observari, ut supra habetur, mirabili laetitia perfundit hominem; nihil enim iucundius bona conscientia. *Iustitiae, inquit, Domini*, id est, lex Domini, quae dicitur iustitiae, quia iustissima est, et iustum facit observatorem, ista, inquam, lex, cum recta sit, *laetificat corda*. Quartum encomium est, *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, id est, lex Domini lucida luce divinae sapientiae illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei et quae sint vera bona et vera mala.

10. *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi: iudicia Domini vera iustificata in*

semetipsa. Quintum encomium est, quod superiora bona, non temporalia sed aeterna, facit esse lex Domini. Nam *timor Domini sanctus*, id est, timor Domini, quo quis Deum offendere, et contra legem agere formidat, manet *in saeculum saeculi*, quoad praemium suum non terminantur in morte bona, quae producit observatio legis, sive timor castus et filialis legem observare faciens, sed manent in aeternum *iudicia Domini vera iustificata in semetipsa*, id est lex, vel mandata Domini, quae dicuntur iudicia, quia per ea Deus iudicat homines, et quae sunt norma ac regula discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis; ista, inquam, mandata verissima iustificata sunt in semetipsa, id est, non egent, ut ab aliquo demonstrentur iusta, hoc enim ipso, quod sunt mandata Dei iusta esse probantur. Hoc ergo est sextum encomium, quod lex Domini sit vera et iusta per se ipsam, non indigens aliunde iustificari.

11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum*. Haec est conclusio ex superioribus, q. d. Cum tam bona sint praecepta Domini, certe praeponenda sunt omnibus divitiis et deliciis huius mundi.

12. *Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa*. Probat exemplo sive experientia sua verum esse, quod dixit, nam *servus tuus*, inquit, *custodit ea* praecepta, et *in custodiendis illis retributio multa* illi contingit, id est, experimento probavit servus tuus, se multa bona percipere, cum praecepta custodit.

13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo*. Dixerat se custodire mandata Dei, corrigit se, atque excipit peccata ex ignorantia, quae vix caveri possunt, q. d.

Servus tuus cavet a peccatis, legem tuam servando non omnino, sed quantum patitur humana fragilitas, demonstrat, esse difficillimum cavere peccata, quae ex ignorantia committuntur, et tamen, quia vere peccata sunt, et caveri potuerunt, addit orationem, *ab occultis meis munda me*. Illud quod sequitur, *et ab alienis parce servo tuo*, dicitur vulgo significare, ut Deus nobis ignoscat peccata aliena: at Bellarminus aliter, et melius videtur exponere, ut Deus custodiat a sodalitate perversorum hominum: adeoque sensus est, *ab alienis*, id est, ab iis qui alienis moribus sunt, *parce servo tuo*, id est, parcendo remove illos ab amicitia servi tui, et hunc sensum esse patet ex sequenti versu.

14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo*. Reddit rationem, cur timeat improborum familiaritatem. Nam, inquit, *si isti alienis moribus depravati, non fuerint dominati mei*, id est, si per nimiam familiaritatem, non me sibi subiecerint, et ad suam voluntatem me non redegerint, *tunc immaculatus ero, et emundabor*, sive mundus ero *a delicto maximo*, id est, a peccato mortali: omne enim grave delictum maximum dici potest, cum a Deo bono maximo avertat et ad poenam gehennae, sane maximam perducatur.

15. *Et erunt, ut complacent eloquia oris mei: et meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper*. Non solum tunc immaculatus ero, sed etiam tunc *erunt, ut complacent*, id est, fiet, ut complacent *eloquia oris mei, et meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper*, id est, hymni, quos in laudem tuam corde et ore decanto, placebunt tibi semper, quia de mundo corde et simplici ore prodibunt.

16. *Domine adiutor meus, et redemptor meus*.

Placebant, inquam, tibi cantica mea, ex gratia tua, non ex meritis meis, quia ut sim immaculatus, et mundus, et proinde placeant tibi verba mea, dono tuo habeo, qui es adiutor meus in bonis, et redemptor meus a malis.

PSALMUS XIX.

Synopsis

Hic psalmus ad litteram continet pia populi vota pro salute, et victoria regis ad bellum proficiscentis: allegorice autem pro victoria Christi contra Satanam, ut docent Athanasius, Nicephorus, Iansenius et alii

1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.* Psalmus iste, cum, ut ex titulo constat (dicitur enim *Psalmus David*), ab ipso Davide conscriptus sit, et tamen sit oratio populi Regi suo ad bellum proficiscenti fausta precantis, videtur a Davide populo traditus, ut esset ei veluti forma qua pro se, aliisque regibus post ipsum precari deberent. Ita Iansen. Cardinalis Belarminus, tamen secutus S. Augustin. Ruffin. Dionys. Cassiod., quos et nos deinceps sequemur, exponit de solo Christo, et ait, hunc psalmum cantatum a Davide praevidente Christi adventum ad debellandas aëreas potestates. Cum igitur David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur illum, in quem omnium desideria, vaticinia, etc., respiciebant, eique acclamat: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, id est, passionis: exauditus est autem Christus, non ut mortem evaderet, sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet. De hac exauditione loquitur Propheta, quo

etiam pertinet, quod sequitur, *Protegat te nomen Dei Iacob*. Per nomen potestas Dei, vel simpliciter Deus intelligi potest, saepius enim in scripturis nomen pro ipsa persona ponitur; additur *Dei Iacob*, id est, Deus invocatus a Iacob, q. d. Deus, qui olim Patriarcham Iacob exaudivit, et protexit, te quoque exaudiat et protegat. Ita Didymus, Genebrardus et alii.

2. *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te*. Per *sanctum*, intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, ut explicatur in altera versiculi parte. Videtur tamen hic intelligendus mons coelestis, de quo loquitur Apostolus ad Hebraeos 12. Accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, etc.

3. *Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat*. Quia Dominus praeliaturus cum hoste generis humani, non solum cravit, sed etiam sacrificavit, ideo Propheta sicut de oratione dixerat, *Exaudiat te Dominus*, ita nunc dicit de sacrificio, *Memor sit omnis sacrificii tui*, id est, non contemnat, sed semper in memoria habeat, et respiciat omnia sacrificia tua. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, id est acceptetur, ut solent acceptari holocausta ex animalibus pingnibus. Porro Christus obtulit multa sacrificia, quae fuerunt passiones multae, quas pertulit pro gloria Dei, dum viveret; holocaustum vero, quo seipsum totum obtulit, est ipsa mors crucis.

4. *Tribuat tibi secundum cor tuum; et omne consilium tuum confirmet*. Declarat finem orationis et sacrificii, q. d. Ad hoc te Deus exaudiat, et sacrificium tuum acceptet, ut finem tibi propositum consequaris. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, det tibi quod est secundum cor tuum, sive, quod cupis,

et omne consilium tuum confirmet, id est, omne quod deliberasti stabiliat, ratum esse velit, et executioni mandari concedat. Itaque sensus est: Exaudiat te Deus et accipiat sacrificium tuum, ut destruas opera diaboli, ut hominem de captivitate liberet, etc. Hoc enim fuisse consilium et desiderium Christi, patet Luc. XIX, 4, Ioan. III, I. ad Timoth. I.

5. *Laetabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur*. Cum id factum erit, quod petimus, videlicet, ut tu, Rex noster, victoriam de inimicis reportaveris, tunc *laetabimur in salutari tuo*, id est, in salute tua; tum passiva, qua salvus edibis, tum activa, qua nos salvabis ab hostibus. *Et in nomine Dei nostri*, a quo tanta victoria processit, *magnificabimur*, magnos videlicet nos esse dicemus, et dicemus, non propter magnitudinem, quae in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus.

6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*. Repetit faustam precationem, q. d. Impleat ego Dominus omnes petitiones tuas, ex quibus tanta bona secutura sunt. *Nunc cognovi etc.*, id est, ego audacter repeto, ut Dominus exaudiat te, et impleat petitiones tuas, quia *nunc* Domini illustratione *cognovi* omnino fore implendas. *Cognovi enim, quod Dominus salvum fecit*, id est, certissime salvum faciet Christum suum, et iam in praedefinitione sua salvum illum fecit, a morte excitavit, in caelo collocavit, et hostes sub pedibus eius subicit.

7. *Exaudiet illum de coelo sancto suo: in potentibus salus dexterarum eius*. Quia dixerat salvum fecit, declarat illud esse dictum de salute in praedefinitione, non in executione. Nam, ut, quod prae-

definitum est, suo tempore impleatur, *exaudiet illum de coelo sancto suo*, et sic salvum faciet Dominus Christum suum. Illud *in potentatibus salus dexterae eius* potest habere duplicem sensum: potest enim accipi *potentatus* pro potentia et robore, et tunc significat *in potentiis*, id est, in magna potentia et robore aderit Christo salus dexterae Dei, et sic sumunt passim Interpretes. Potest etiam *potentatus* accipi pro principatu et imperio, et tunc sensus erit: *exaudiet illum de coelo sancto suo, et in potentatibus*, id est, quia in principatibus nimirum constituendis, vel conservandis praecipue necessaria est salus dexterae eius. Quamvis enim multa praesidia videantur habere principes ad salutem, scil. equos, et currus, milites, arma, arces et munitiones; tamen ista omnia nihil sunt, si absit salus dexterae Dei: ideo recte subiungitur:

8. *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Pergit explicare victoriam Christi, quam futuram praevidebat, et ait: *Hi in curribus, et hi in equis*, id est, alii adversariorum in curribus armatis confident, alii in equis ferocibus, et per haec duo nomina intelligi vult omnia alia humana praesidia, quibus olim in bellis utebantur. Nos autem cum capite nostro, et rege Christo non tam in curribus et equis, quam in nomine Dei omnipotentis devote invocato fiduciam nostram collocabimus. Porro idem est nomen Domini invocare, et in nomine Domini invocare secundum phrasim Scripturae.

9. *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus.* Ostendit quanto sit utilius in nomine Domini quam in curribus etc., confidere. In his enim confidentes *obligati sunt*, id est, ligati, et impediti, ne pugnare vel consistere pos-

sent, *ceciderunt*. *Nos autem*, qui in Deo confidimus, *surreximus, et erecti sumus*. Indicat miram conversionem rerum. Nam ante Christi victoriam diabolus sublimis, quasi in curribus et equis minabatur deiectis hominibus ob peccatum originale, et similiter alii hostes Christi eidem, humilibusque eius discipulis insultabant, sed paulo post illi omnes colligati, et impediti corruerunt, isti vero surrexerunt, atque erecti in aeternum stabunt.

10. *Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te*. Concludit coniungendo finem cum principio. Initio dixerat, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, nunc idem confirmat convertendo orationem ad Deum. *Domine, salvum fac regem*, de tribulatione sua, et eodem modo *exaudi nos* etiam, et salvos fac, *in die, qua invocaverimus te*, id est, in die tribulationis nostrae, in qua non alium nisi te invocabimus.

Potest hic psalmus commode recitari, quando christiani principes proficiscuntur ad bellum contra infideles.

PSALMUS XX.

Synopsis

Hic Psalmus connexus est cum praecedente. In illo petebat David a Deo, ut Christum Regem cum hoste generis humani praeliaturum protegeret. In isto gratias agit, quod protexerit, exaltaverit, coronaverit. Ita S. Aug. Hier., Dionys., Bellarm., Lombard. quos sequimur. Alii quidam dicunt, populum in hoc psalmo David iam reduci gratulari de parta victoria, et salute: verum sunt aliqua, quae non ita David, sed soli Christo conveniunt, ut patebit.

1. *Domine, in virtute tua laetabitur Rex: et super salutare tuum exultabit vehementer.* Adepta victoria Rex noster Christus laetabitur in virtute tua, id est, ob virtutem potentiamque tuam, per quam de hostibus suis feliciter triumphavit. *Et super salutare tuum*, id est, de salute a te illi praestita gaudebit, et voce etiam exultabit vehementer.

2. *Desiderium cordis eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Id est, tribuisti ei, id, quod desiderabat, et non fraudasti eum ea re, quam volebant labia eius, sive quam se velle, et desiderare, labiis orationem fundendo, demonstravit. Paucis, dicit datum fuisse Christo, quod corde desideraverat, et labiis expetiverat.

3. *Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Vere magna fuit Christo causa laetandi, quod non solum acceperit, quod petiit, sed quod Deus praevenerit eius desideria, et dederit ei maxima dona, antequam peteret. *Praevenisti eum*, etc. Christus itaque, praeventus fuit donis bonitatis Dei, quae fuerunt conceptio de Spiritu sancto, unio ad

personam Verbi, infusio omnium scientiarum et virtutum, et ipsa Dei visio, quae omnia in primo instanti conceptionis illi data fuerunt: proinde praeventus fuit benedictionibus dulcedinis. Quod vero sequitur, *posuisti, etc.*, videtur referendum ad regnum et sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quae Christi cognomen accepit: corona enim pretiosa, insigne est regium et sacerdotale.

4. *Vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum, et in saeculum saeculi.* Beneficia superiora praeventus accepit: at corporis gloriam, et immortalitatem, et alia deinceps petiit, et obtinuit. Deus ergo tribuit ei *longitudinem dierum in saeculum, etc.*, id est, vitam sempiternam, ut resurgens a mortuis iam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur.

5. *Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, et magnum decorem impones super eum.* Non solum vitam in saeculum saeculi dedit ei Deus, sed etiam *exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Phil. II. Haec enim est vere *magna gloria*, quam habuit in salutari Dei, id est, in salute, qua illum salvum fecit Deus: et hinc *gloriam et magnum decorem*, id est immensum honorem *impones super eum*, ut in eius nomine flectatur omne genu, etc.

6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi: laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Post exaltationem ad dexteram Patris, et nomen super omne nomen, sequetur universalis benedictio, quae nunquam deficiet; verba illa: *dabis eum in benedictionem*, significant, facies, ut omnes ei benedicant. Quod autem additur: *laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, significat laetitiam conse-

quentem illa omnia bona iam dicta: semper enim laetitia sequitur adoptionem boni, illud *cum vultu tuo* significat coram te et in tua praesentia.

7. *Quoniam rex sperat in Domino: et in misericordia Altissimi non commovebitur.* Bona iam dicta praedicit fore stabilia et firma in aeternum. *Quoniam*, inquit, *rex sperat in Domino*, id est, confidit in potentia infinita Dei, non in viribus humanis: *et in misericordia Altissimi*, id est, in bonitate illius, qui super omnes est, et cui subiiciuntur omnia; ideo non commovebitur, sive permanebit securus in aeternum.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.* Probat non commovendum Christum, neque regnum eius, quoniam inimici eius omnes peribunt. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, id est invenietur manus tua super omnes inimicos tuos, videlicet, ut eos puniat. Idem repetit: *dextera tua inveniat*, pro *inveniet odientes te*, ut in hebraeo est. Videtur autem propheta nunc alloqui Christum, non Patrem. Christus enim proprie est, quem iudaei aliique persecutores oderunt. Et de eo dicitur: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. cix.

9. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Describit poenam inimicorum. *Pones*, inquit, *eos*, tuos videlicet inimicos, *ut clibanum ignis*, id est, facies eos undique aestuare, quomodo aestuat clibanus ardens: *in tempore vultus tui*, id est, in die irae tuae, quae in ultimo iudicio manifestabitur. Idem repetit in tertia persona q. d. Vere hoc dixi, nam *Dominus* Christus, *in ira sua conturbabit* inimicos suos, et tunc ad imperium Christi *devorabit eos ignis aeternus* quasi clibanus ardens.

10. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.* Addit propheta, non solum inimicos Christi, sed et omnes eorum filios ac nepotes, atque adeo omne semen et fructum eorum periturum.

11. *Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.* Iuste punies eos, quoniam ipsi iniuste tibi nocere conati sunt. Videtur David valde proprie et subtiliter dixisse: *declinaverunt*, id est, detorserunt *in te mala*, scilicet, contumelias, plagas, vulnera, mortem ipsam; cum tamen mala ista directe non pertinebant ad Christum, utpote innocentissimum. *Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire*, id est, mala voluntas in ipsis fuit, perdendi Christum, et impediendi regnum eius, sed non potuerunt perficere, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, et eius fidelium.

12. *Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.* Illic describitur summa impiorum calamitas, quod videlicet sunt destinati ad sola flagella, et ad maiorem calamitatem visuri sunt electos Dei in summa gloria. *Pones eos dorsum*, id est, facies, ut nihil sint nisi dorsum, pars videlicet flagellis exposita: sic nimirum totos flagellabis, quasi toti sint dorsum. *In reliquiis tuis praeparabis*, seu *diriges* (ut est in Hebr.) *vultum eorum*, id est, diriges vultum eorum in reliquiis tuis, hoc est, ad considerandos electos tuos, quos tibi reliquisti, de quibus scriptum est, *reliquiae salvae fient*. Ita Bellarminus quidem locum hunc admodum obscurum exponit, sed alii quidam sic interpretantur: *Pones eos dorsum*, id est, in fugam eos convertes, ut terga vertant, *in reliquiis tuis vultum eorum praeparabis*, id est, in reliquias eorum, sive filios, ac nepotes

praeparabis vultum tuum, id est, iram tuam. Ita Theodoretus, Euthymius et alii, qui volunt hyperbaton esse in verbis prophetae, et ideo invertenda esse verba modo eo, quo dictum est.

13. *Exaltare, Domine, in virtute* sive potentia tua; *cantabimus, et psallemus virtutes*, sive potentias tuas. Concluditur psalmus sancta acclamatione ad Christum Regem: *Exaltare, Domine, in virtute tua*, id est, qui aliquando te humiliasti usque ad mortem crucis, nunc in fortitudine et potentia, devictis hostibus et ad gehennam detrusis, *Exaltare* usque ad summum coelum: interim nos electi tui *cantabimus et psallemus potentiam tuam*, ut aliquando ad te perveniamus et in saeculum saeculi te laudemus, Amen.

PSALMUS XXI.

Synopsis

Psalmum hunc de passione et resurrectione Domini loqui adeo manifestum est, ut Bellarmin. dicat, plane temerarium esse, ad alium sensum eum velle detorquere. Quod titulum attinet, respicit ille resurrectionem; est autem hic: In finem pro susceptione matutina, Psalmus David. Resurrectio enim facta est tempore matutino, et per virtutem Dei suscipientis quodammodo Christum de sepulcro, et educentis eum ad auram vitalem. Iuxta illud. Exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Psalm. III.

1. *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.* Loquitur David in persona Christi e cruce pendentis, et in summo passionis dolore constituti, ut patet ex Matth. xxvii, ubi legimus Christum morti

proximum dixisse: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quod autem Christus queritur se derelictum a Deo, significat permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta et mortem ignominiae plenam. Neque orta est querimonia illa ab impatientia vel ignorantia, quasi Christus ignoraret causam suae passionis, aut non libenter ferret, se a Patre in illis doloribus derelictum; sed fuit querimonia illa protestatio quaedam acerbissimae passionis. Quia enim in toto progressu passionis tanta animi aequitate omnia pertulerat, ut ne gemitus quidem exaudiretur; potuissent homines credere illum superiore aliqua virtute impassibilem redditum, dolores non sensisse. Ideo igitur morti vicinus protestatur, se verum esse hominem, vereque passibilem et a Patre derelictum in doloribus passionis, acerbiter sensu doloris intimo et maximo hausisse. Ait igitur: *Deus, Deus meus, in forma servi vocat Patrem Deum suum, respice in me, rogat, ut videat, ubi pro honore suo constitutus sit, recognoscat obedientiam filii sui, acceptet sacrificium pro humano genere oblatum. Quare me dereliquisti?* non solum protestatio verae passionis, ut diximus, sed etiam admiratio quaedam esse videtur, q. d. Fierine potest, ut dilectissimum et unigenitum filium in hanc doloris abyssum pervenire permisisset; *longe a salute mea verba delictorum meorum,* id est, merito me dixi derelictum in doloribus, quia delicta totius mundi, quae ego mea feci, et in me expianda suscepi, non possunt coniungi cum salute mea. Necesse enim est, ut haec patiar et moriar, si ea expiare velim. Ita Athanas., Euseb., Nazianz., Cyrill., Ambros. et alii. Porro *verba delictorum,* est phrasis hebraica; hebraei enim utuntur nomine verbi, ad rem ipsam significandam.

2. *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Alia ratione derelictum se ostendit, sine spe salutis temporalis. *Clamabo, inquit, per diem, et non exaudies, et nocte;* subintelligitur, clamabo, et non exaudies, et sensus est: Etiamsi clamem die ac nocte, non tamen exaudies me ut a morte corporali liberer. *Et non ad insipientiam mihi,* supplendum, reputabitur, quod, licet non statim exaudiar, et hoc certo praesciam, clamem tamen, et opem ac solatium in-clamem: nempe, quia certus sum, quod opportuniori tempore succurres mihi, et alio longe nobiliori modo exaudies me, scilicet resuscitando me, et per crucem ac mortem meam mundum salvando. Ita s. Hieronymus et Theodoretus.

3. *Tu autem in sancto habitas, Laus Israël.* Probat, se non insipienter clamare, ac se omnino exaudiendum esse. Probat autem quatuor rationibus: 1^o quia Deus sanctus et misericors est; 2^o quia solet invocantes se benigne audire; 3^o quia ipse in maxima pressura est; 4^o quia ipse semper in Deo confisus est, eique soli adhaesit. Prima ratio est in hoc versu: *Tu, Domine, omnino exaudies me, quia in sancto, id est, in sanctitate habitas, totus sanctus et pius es, et ad te malitia, vel crudelitas accedere non potest.* Et ideo tu es *laus populi tui Israël,* tum quia te laudat populus tuus Israël, tum quia propter te laudatur populus tuus Israël: haec enim est maxima laus populi tui, quod habeat Deum omni ex parte sanctissimum.

4. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt et liberasti eos.* 5. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt et non sunt confusi.* Haec est altera ratio ab exemplis. Habentur autem multa huiusmodi in Scriptura.

6. *Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis.* 7. *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.* 8. *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Haec est tertia ratio ducta a pressura Christi crucifixi. *Ego autem sum vermis, et non homo*, id est, adeo factus sum vilis, despectus, abiectus, proculcatus, ut vermis potius esse videar, quam homo. *Opprobrium hominum*, de quo videlicet homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso. *Et abiectio plebis*, id est, quem etiam plebs, vilissima hominum pars, ita abiecit, ut diceret, non hunc, sed Barabham. *Omnes videntes deriserunt me*, id est, qui me in eo statu viderunt, irriserunt omnes, omnia videlicet hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, laici, hebraei, gentiles *locuti sunt labiis, et moverunt caput*, quae omnia impleta fuisse patet Luc. XIII et Matth. XXVII: *Speravit in Domino, salvum faciat eum, quoniam vult eum*, id est, quoniam amat eum, ut ipse dixit, iam liberet eum. Fuerunt blasphemiae iudaeorum, ut habet Matth. I. c. Caeterum admiranda prorsus prophetae illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba praenovit et praedixit, quae iudaei in passione Christi dicturi fuerant.

9. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae.* 10. *In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu: ne discesseris a me.* Haec est ratio postrema ducta ab innocentia perpetua ipsius Christi. *Tu es qui extraxisti me de ventre*, id est, a nativitate mea tuus sum, *spes mea ab uberibus matris meae*, id est, sicut tu me eduxisti ex utero, ita tu es qui praecipue me aluisti, et ideo in te ab uberibus matris con-

fidere et sperare didici. *In te proiectus sum ex utero*, id est, prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia mei curam geris. *De ventre matris meae Deus meus es tu*, id est, sicut ab incipiente vita mea, tu mihi singulari providentia astitisti, ita et ego ab exordio vitae meae te colere coepi. ut Deum meum. *Ne discesseris a me*, est veluti conclusio superioris rationis, ac si Christus diceret: Quandoquidem in te proiectus sum ex utero, et ab eo tempore Deus meus es tu, ideo iure a te requiro, ut non discedas a me praesertim cum iam instet gravissima et ultima tribulatio mea, id est, mors corporis mei.

Hic observandum est, quod illud *quoniam*, non ubique sit nota causae, sed saepe ponatur loco conjunctionis, et, vel autem aliquando etiam nihil significat, sed additur ornatus gratia.

11. *Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuvet*. Iuxta id, quod dixerat, *non ad insipientiam mihi reputabitur*, si clamem ad te, precatur nunc, ut Deus sibi adsit in ultima tribulatione, non ut liberetur a morte, sed ut non detineatur in morte. Peto, inquit, ut non discedas a me, *quoniam tribulatio*, videlicet ultima et gravissima *proxima est*, et *quoniam non est* alius, qui adiuvere me possit ut sic moriar, ut mortem occidam.

12. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me*. Narrat crudelitatem hostium suorum, quos comparat tauris, leonibus et canibus. *Circumdederunt me vituli multi*: per vitulos non intelligit quoscunque vitulos, sed vitulos grandiores et cornigeros, qui etiam tauri dici possint; nam quod sequitur, *tauri pingues obsederunt me*, est explicatio, sive repetitio. Dicuntur autem pontifices et pharisaei *tauri pingues*, quia erant potentes et divites.

Aliqui per vitulos intelligunt plebem indisciplinatum et imbellem, per tauros, pontifices et pharisaeos.

13. *Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens.* Eisdem significat pontifices et pharisaeos, qui veluti leones aperto ore suo famem demonstrabant, id est, desiderium ingens perdendi eum, unde et rugiebant, dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum.

14. *Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.* 15. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.* In his versibus declarat, quomodo se gesserit contra inimicorum suorum crudelitatem: ac dicit, se non restitisse illorum violentiae, sed in omnibus humilitatem, patientiam et mansuetudinem servasse: sed singula videamus. *Sicut aqua effusus sum*, id est, non restiti ullo modo, sed instar mollissimae aquae me praebui versandum et implendum in omnem partem. *Et dispersa sunt omnia ossa mea*, id est, adeo debilem atque imbecillum me praebui, ad resistendum, quasi solam carnem sine ossibus haberem. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, etc.*, id est, non solum exterius patientem et mitem me praebui, sed etiam interius humilis corde fui, et factum est cor meum sicut cera liquescens ex affectu pio erga illos, miserans illorum caecitatem, et pro eis rogans *Pater ignosce illis, etc.* Illud *in medio ventris mei*, significat in medio viscerum meorum, saepe enim in Scriptura venter pro interioribus sumitur. Cantic. v, Ioan. vii, etc. *Aruit tanquam testa virtus mea*, id est, robur meum quasi exaurit omni virore exhausto, quia videlicet ita me ligari et vulnerari permisi, quasi impotens essem ad re-

sistendum. *Et lingua mea adhaesit faucibus meis*, id est, ne verbis quidem adversarios laedere, aut de ipsorum iniustitia conqueri volui. *Et in pulverem mortis deduxisti me*, id est, et sic tandem illis persequentibus, et me non resistente, tu, Deus meus, sine cuius permissione nihil fieri potest, in mortem et sepulturam adduxisti me. Vocatur enim pulvis mortis ipsa sepultura, quia mortui pulvere tegi solent.

17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.* 18. *Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Declarat modum, quo in pulverem mortis deductus sit. *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me canes multi*, id est, detractores (qui merito canibus mordentibus comparantur) pontifices videlicet et pharisaei, qui falsis criminationibus Pilatum coegerunt, ut me militibus crucifigendum traderet. *Concilium malignantium obsedit me*, est priorum verborum declaratio; canes enim multi nihil sunt aliud, nisi concilium, id est, coetus malignantium. Isti ergo malignantes *foderunt manus meas, et pedes meos*, non quidem manibus, sed auctoritate sua, *dinumeraverunt omnia ossa mea*, id est, tanta crudelitate dilacerarunt flagellis pellem et carnem meam, et in cruce tanta violentia distenderunt omnia membra mea, ut possint iam ossa, quasi carne nudata facile dinumerari. Ita Basilius, Nicephorus et alii.

19. *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Addit ad supplicium crucis ignominiam nuditatis. *Ipsi*, inquit, curiose inspexerunt totum corpus meum, quoniam nudatum erat omnibus vestibus, quas diviserunt milites inter se, et super tunicam inconsutilem, quae supererat,

sortem miserunt. Quae omnia impleta esse ad litteram, testatur Ioannes evangelista.

20. *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.* Revertitur ad orationem, et exposita passione sua rogat Deum pro celeri resurrectione: nam per eam perfecte liberabitur ab omni persecutione et iniuria adversariorum. Dicit ergo: Adversarii mei ad summam malitiae pervenerunt, atque in me omnes vires suas exercuerunt: iam tuum est, Domine, non differre amplius auxilium, sed meam defensionem paterne suscipere.

21. *Erue a framea Deus, animam meam: et de manu canis unicam meam.* 22. *Salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Declarat, in quo velit auxilium sibi adesse. *Erue a framea*, sive gladio *animam meam*, libera ab instrumento mortis vitam meam; saepius enim in Scriptura ponitur gladius pro quolibet instrumento mortis, sicut etiam anima pro vita. *Et de manu canis unicam meam*; per canem intelligit canes illos, de quibus supra dixerat: utitur autem singulari numero, ad significandam unionem in malum inimicorum suorum. Per *unicam* vero intelligit eandem vitam suam, quam unice diligebat. *Salva me ex ore leonis* illius, de quo supra v. 13, *et a cornibus unicornium, etc.* Hic loco taurorum ponuntur unicornes, qui sunt indomitae bestiae, et tauris etiam ferociores; ut significet nequitiam et crudelitatem inimicorum suorum non imminutam tot suppliciis fuisse, sed auctam. Caeterum his omnibus verbis non petit Dominus vitam suam temporalem salvam, sed (ut saepe diximus) petit vitam suam celeriter reparari, et ita reparari, ut non amplius pateat morsibus canum, vel unguibus leonum, vel cornibus unicornium, aut taurorum.

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te.* Iam incipit narrare fructum resurrectionis suae, qui est conversio mundi ad Deum. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, id est: Postquam resurrexero mittam apostolos in mundum universum, et per eos narrabo nomen tuum, id est, notitiam divinitatis tuae manifestabo omnibus hominibus, qui fratres mei sunt propter assumptam carnem, *et sic in medio ecclesiae laudabo te*, id est, non amplius in angulo Iudaeae, sed in medio *ecclesiae magnae* ex iudaeis et gentibus adunatae laudabo te per ministros meos. Hunc locum adducit apost. Hebr. ii, *Propter quod, inquit, non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*, etc.

24. *Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Iacob glorificate eum.* 25. *Timeat eum omne semen Israël, quoniam non sprexit, neque despexit deprecationem pauperis.* Nunc hortatur ipsos fideles, ut Deum laudent. *Qui timetis Dominum, laudate eum*, id est, quicumque verum Deum cognoscitis et colitis, laudate eum. Timere Deum saepius in Scriptura accipitur pro colere. Ionae i, Daniel. vi, Iudith i, etc. Et ne putemus fideles, quos alloquitur paucos esse, addit: *Universum semen Iacob glorificate eum, et timeat eum omne semen Israël*, id est, glorificent et timeant Deum omnes Israëlitae, non tantum ii, qui sunt Israëlitae secundum carnem, sed etiam qui sunt Israëlitae secundum promissionem, quales sunt omnes ad Christum conversi. Ita s. Aug. Per illa verba, *quoniam non sprexit, etc.*, reddit rationem; cur omnes Deum laudare debeant, quia videlicet exaudivit orationem, quam fuderat pro resurrectione, et gloria sua, pro victoria contra hostes et redemptione ge-

neris humani. Vocat autem Christus se pauperem, quia talis revera fuit tempore passionis, cum nudus ac derelictus, fame sitique laborans penderet in cruce.

26. *Nec avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Idem repetit aliis verbis.

27. *Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Hortatus est fideles suos, ut Deum laudarent, nunc praedicit id omnino futurum. *Apud te laus mea*, id est, laus quam ego tibi canam per fideles meos, erit apud te, sive coram te in *ecclesia magna*, non in coetu paucorum hebraeorum, sed in ecclesia omnium gentium. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*: per vota videntur hic intelligenda vota sacrificiorum et oblationum, ut etiam sumuntur Isaiae 19, ut sensus sit: per ministros meos sacerdotes novi testamenti assidue immolabo sacrificium Deo gratissimum, idque *in conspectu timentium*, id est, colentium eum, ac per hoc verorum fidelium, non enim licet hoc sacrificium coram infidelibus immolare. Ita Augustinus, Hieronymus, Eusebius et alii.

28. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.* De hoc sacrificio *edent pauperes*, qui suam egestatem spiritualem agnoscunt, *et saturabuntur*, quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum, *et laudabunt Dominum* gratias agentes Deo pro insigni adeo beneficio, illi omnes, *qui quaerunt eum*, et esuriunt et proinde avidè requirunt Dominum, *vivent corda eorum in saeculum saeculi.* Hic erit fructus illius refectionis, ut corda tam nobili cibo refecta vivant vita spiri-

tuali, vita gratiae hic, ac postea vita gloriae in saeculum saeculi. Sic enim veritas ait Ioan. 6, *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

29. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae.* Iudaei et gentiles *reminiscentur* meae passionis, et amoris, et beneficiorum, *et convertentur ad Dominum universi fines terrae*, id est, omnes gentes, non quidem singuli homines totius mundi, sed ex omnibus gentibus aliqui.

30. *Et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium.* Est repetitio, vel potius declaratio prioris, id enim est converti ad Dominum, adorare eum.

31. *Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.* Merito convertentur ad Dominum et adorabunt eum omnes gentes, quoniam ipse est verus Rex, ideo ipse deinceps, non daemones, dominabitur gentium.

32. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* Ne quis putaret solos pauperes et plebeios convertendos ad Dominum, adiungit de divitibus et potentibus, *manducaverunt, etc.* Id est, ipsi etiam pingues terrae, qui abundant terrenis bonis, ipsi principes, imperatores, reges, manducabunt de mensa Domini, et adorabunt ac laudabunt communem Dominum, cuius est regnum super omnes gentes. Ponitur autem more prophetico praeteritum pro futuro. Et denique *omnes qui descendunt in terram*, id est, omnes mortales, *cadent in conspectu eius*, seu genua flectent et adorabunt; atque ita vere generalis erit conversio, quae est fructus dominicae passionis et resurrectionis.

33. *Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.* Concludit psalmum, dicens se deinceps

perpetuo victurum ad gloriam Dei, et eidem Deo posteritatem suam regeneratam per aquam et Spiritum sanctum fideliter servituram.

34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura: et annuntiabunt coeli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Declarat, quod dixit, *semen meum serviet ipsi*, dicens *generatio ventura*, id est, populus novi testamenti suscipiet bonum nuntium de Domino, et de iustitia eius, quae est iustitia fidei. Illud *annuntiabitur generatio ventura Domino*, significat, annuntiabitur generationi venturae de Domino, tum quia hic sensus colligitur ex hebraeo et graeco, tum quia idem repetitur vel declaratur in sequentibus verbis de more Davidis: *et annuntiabunt coeli iustitiam eius populo, qui nascetur, etc.* Porro per coelos intelliguntur coelestes homines, per iustitiam Dei significatur iustitia fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quae facit homines iustos. Illud, quod habetur in fine, *quem fecit Dominus*, significat populum istum novi testamenti, peculiarem esse Dei populum ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit apostolus ad Titum, cap. III.

PSALMUS XXII.

Synopsis

Celebratur eximia Dei benevolentia erga Electos.

1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae, ibi me collocavit.* Describitur felicitas electorum Dei per similitudinem ovium, quae ab optimo aliquo pastore reguntur. In eorum persona David, qui unus erat ex illis, dicit: *Dominus regit me,*

etc. In hebraeo et graeco habetur pro *regit, pascit*, et idcirco sensus est, *Dominus regit me* pastoralis modo, sicut pastor bonus regit oviculas suas. Quod autem dixit in summa, *nihil mihi deerit*, declarat per partes in sequentibus. Videntur autem haec esse, quibus oviculae egere solent: 1° pascua pinguis; 2° aquae purae; 3° ut reducantur si forte erraverint; 4° ut ducantur per commodas vias; 5° ut a lupis aliisque feris defendantur; 6° ut fatigatae sustententur; 7° ut si per tribulos et saxa incedentes laedantur, refocillentur et recreentur; denique ut evoluta die, confectoque itinere locum habeant, ubi requiescant. Haec omnia praestat abunde Deus electis suis, ac ideo recte dicunt, *nihil mihi deerit*. Incipit David a primo, cum subiungit: *In loco pascuae me collocavit*. Pascua autem seu pabula spiritualia rationabilium ovium Dei, quibus electi abundant, sunt notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, veritas ipsa, haec enim est, quae vitam spiritualem sustentat et auget.

2. *Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit*. Attingit alterum et tertium bonum oviculae necessarium. *Super aquam refectionis educavit me*, id est, non solum in loco pascuae me collocavit, sed etiam educavit, et aluit me optimo pabulo super rivos aquarum sito, ut possim ab aestu et sitis ardore refrigerari. Haec spiritualis aqua est gratia Dei, de qua Dominus Ioan. iv: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*. Tertium bonum est reductio: *animam meam convertit*, neque enim potest homo suis solis viribus reverti ad Deum, sicut averti potest; ait igitur: Bonus pastor errantem me quaesivit, et reduxit, quod magnum est beneficium, atque proprium electorum, ut non sinantur errare perpetuo.

3. *Deduxit me super semitas iustitiae propter nomen suum.* Quartum bonum commemorat: *Deduxit me, etc.*, id est, ingredi me fecit per viam praeceptorum suorum, ut iuste viverem. Id vero fecit removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentatoris, augendo caritatem, etc., idque fecit, non propter mea merita, sed ex misericordia *propter nomen suum.*

4. *Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Hoc est bonum quintum, defensio videlicet a lupis et aliis hostibus. *Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis*, id est, per loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita ferarum, latronum, praecipitiorum, omnia enim pericula, quae mortem intentant et metaphorice *umbra mortis* appellantur. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*; nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Et vere incredibilis securitas est in corde diligentis Deum, dum recogitat, secum esse illum, cui nihil resistere potest.

5. *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Explicatur sextum bonum, quod est sustentatio fatigati. Per virgam et baculum intelligit pastorem curam, et sustentationem, quin etiam castigationem, qua Deus fatigatum ac lentum monet, excitat, sustentat. Ita Orig., Hier., August. et alii. Deus ergo, cum videt suos in via fatigari lentiusque progredi, quam par esset, adhibet et verbum increpatorium et consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet, sed utrumque tandem consolationem affert, quoniam laetatur anima, cum videt profectum suum Deo curae esse.

6. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* 7. *Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam praeclarus est!*

Hoc est bonum septimum, quod videlicet Deus electos suos in tribulationibus, quas in hac vita non possumus evadere, mirifice consoletur. Consolationes autem istae describuntur modo humano per similitudinem convivii, in quo sit mensa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput (solebant enim veteres in conviviiis inter praecipuas delicias adhibere unguenta pretiosa), nec desit vinum egregium, atque ad inebriandum, id est exhilarandum aptissimum. Per haec igitur omnia significantur magnae consolationes ac suavitates, quae a Deo ingeruntur electis inter tribulationes et amaritudines ab hostibus creatas. Ita Bellarm. Alii per *mensam* intelligunt Eucharistiam; per *oleum*, laetitiam spiritualem; per *calicem*, affluentiam bonorum, maxime spiritualium, quae Deus suis electis propinat, potissimum in Eucharistia. Denique Theodoretus putat per *oleum* hic alludi ad oleum chrismatis, in Confirmatione, Ordine et Extrema unctione, sicut v. 2, ad aquam baptismi.

8. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae.* 9. *Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.* Hoc est ultimum bonum, quod perducit ad summum bonum: *Misericordia tua subsequetur me*, non ad tempus, sed perseveranter usque in finem, quod est donum proprium electorum, *et ut inhabitem*, id est, et subsequetur me, ut inhabitem *in domo Domini in longitudinem dierum*, id est, in aeternum.

PSALMUS XXIII.

Synopsis

Scriptus est hic psalmus a Davide, occasione translationis arcae Domini in montem Sion: magis tamen convenit antitypo, id est, translationis humanae naturae Christi in coelum die Ascensionis. Quod hic psalmus proprie pertineat ad Ascensionem Christi, testantur Athanas., Cyprian., Hieron., Ruffin., Augustin., Bernard. et alii. Porro psalmi titulus est: Prima sabbati, Psalmus David, forte quia hunc psalmum prima sabbati, id est, die dominico cantare, et recitare solebant.

1. *Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Propositum est Davidis, ostendere ex innumerabili hominum multitudine solum Christum et paucos alios respective ad multitudinem aliorum in coelestem Domini domum intraturos: quare ne forte crederentur caeteri homines ad Deum non pertinere; sed ab alio aliquo principio creatos esse: quod postea Marcionistae Manichaeique senserunt, praemittit hunc et sequentem versum, quibus docet Deum creatorem ac Dominum esse totius mundi et omnium inhabitantium. *Domini est terra et plenitudo eius, etc.*, id est, omnia, quae in ipsa sunt, quaeque ipsam replent ac inhabitant.

2. *Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina praeparavit eum.* Probat, Deum, dominum esse orbis terrae, et omnium habitantium in eo: quoniam ipse fecit terram ut esset habitabilis. *Quia ipse super maria fundavit eum*, id est, a fundamentis fecit orbem terrae, ac per hoc ex nihilo fecit, et fecit *super maria*, id est, ut superficies terrae esset altior superficie maris, et pariter *super flumina*

praeparavit eum, id est, orbem terrae praeparavit ad habitationem hominum, et ideo fecit superiorem et altiorem fluminibus, alioqui enim mare et flumina terram obruerent, si altiora essent. Ex hoc autem, quod Deus terram fecit habitabilem, sequitur quod sit etiam dominus omnium hominum qui terram inhabitant, ut coloni a Deo constituti, ut terram colant.

3. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?* Cum omnes homines terram, quae Dei possessio est, incolant, *quis ascendet in montem Domini, etc.*, id est, eritne aliquis ex tanto numero, et quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum, ubi proprie habitat Deus?

4. *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.* Respondet quatuor condiciones requiri in eo qui sit ascensurus coelestem montem Domini. Prima est, ut sit *innocens manibus*, id est, nihil mali perpetraverit; altera, ut sit *mundus corde*, id est, nihil mali cogitaverit; tertia, ut *non acceperit in vano animam suam*, id est, ut non frustra vitam a Deo acceperit, id est, ut non solum mala non egerit, nec cogitaverit, sed etiam omnia ea bona cogitaverit, et fecerit, quae ad finem sibi a Deo constitutum obtinendum requiruntur; quarta, ut *non iuraverit dolose*. Additur haec quarta conditio, de iuramento doloso, ut in eo peccato, quod est unum ex maximis, cum sit pariter contra Deum et contra proximum, comprehenderentur omnia alia peccata, quae per linguam committuntur; itaque is, qui dignus sit in coelum conscendere, debet undequaque perfectus esse, ita ut neque corde, neque voce, neque opere deliquerit, et omnia bona fecerit, quae ad eius officium pertinebant. Hae vero

conditiones proprie non in alium, quam in solum Christum conveniunt. Is enim unus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. I. Petr. II. Nos vero omnes quasi oves erravimus; Isa. LIII. Proinde recte Dominus ipse ait, Ioan. III: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis.* Nec tamen sola persona Christi ascensura erat in montem Domini, sed ipse, et corpus eius, quod est ecclesia, quam lavit sanguine suo, ut eandem exhiberet sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, ad Ephes. V, propterea sequitur:

5. *Hic accipiet benedictionem a Domino; et misericordiam a Deo salutari suo.* Hic, videlicet Christus, accipiet benedictionem a Domino, id est, copiosissima bona pro se, et misericordiam a Deo salutari suo pro corpore suo, quod est ecclesia, cuius etiam respectu dicitur Deus salutaris eius. Siquidem vita aeterna in regno coelorum Christo iustitia, corpori autem suo, sive fidelibus misericordia est. Nam etiamsi iusti merentur ex condigno vitam aeternam; tamen ipsa eorum merita ex misericordia Dei nascuntur, et dona Dei verissime appellantur.

6. *Haec est generatio quaerentium eum; quaerentium faciem Dei Iacob.* Hic iam manifestat propheta, illum innocentem manibus et puro corde, qui ascendet in montem Domini, et accipiet benedictionem et misericordiam a Deo, non esse solum caput, sed caput cum corpore, Christum cum ecclesia. *Haec, inquit, est generatio quaerentium eum,* id est, iste qui ascendet in coelum, est generatio quaedam hominum regenerantium in Christo, quorum praecipuum studium est, Deum quaerere, ad faciem Dei videndam anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. Et hoc praecipuum si-

gnum est electorum suspirare ad patriam. Generatio enim filiorum huius saeculi nihil minus, quam Deum quaerit, nihil magis quam mortem horret, et si optio daretur, mallent in hoc saeculo semper vivere, quam dissolvi et esse cum Christo.

7. *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Cum praevidisset propheta, inventum esse, qui ascendere dignus esset in montem Dei, scilicet Christum, praedicat iam illum reipsa ascensurum; et portas coeli aeternas ipsi aperiendas esse: sed more poetico utitur prosopopoeia, et alloquitur tum principes coeli, id est, angelos, tum ipsas portas, ac iubet angelis, ut aperiant, et portis, ut sinant se aperiri, imo sponte patefiant adveniendi Regi gloriae.

8. *Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.* Introducit principes coelestis Ierusalem interrogantes, quis sit ille Rex gloriae? non, quod angeli in die ascensionis Domini ignorarint, Christum esse regem gloriae, sed, ut exprimat admirationem, quam secum afferebat novitas illa, quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super coelos, non tanquam hospes, sed tanquam Dominus gloriosae ac sempiternae civitatis. Respondet autem propheta, regem gloriae Christum esse, Dominum fortissimum ac potentissimum, qui potentiam suam ostendit in praelio contra principem tenebrarum, quem devicit, spoliavit et alligavit.

9. *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* 10. *Quis est iste Rex gloriae: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae.* Fingit propheta angelos, qui coelo praesunt, quasi cunctari in aperiendis portis; et ideo rursus intonat *Attollite portas, etc.*, quae non

significant aliud, quam ingentem rei novitatem, quod corpus terrenum supra corpus coeleste, et caro humana supra ipsos angelos, cum incredibili totius naturae admiratione, et quasi stupore ascendat. Rursus igitur introducit angelos interrogantes: *Quis est iste Rex gloriae?* quibus ipse respondet: *Dominus virtutum*, id est, exercituum omnium, non solum terrestrium, sed et coelestium, *ipse est Rex gloriae*. Audito autem nomine sibi notissimo, nimirum *Dominus virtutum*, continuo aperiunt, et Regem gloriae laeti suscipiunt.

PSALMUS XXIV.

Synopsis

Est oratio, qua petitur remissio peccatorum, et gratia bene vivendi. Convenit autem haec oratio homini incipienti despiciere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

1. *Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.* Id est, non inveniens in creaturis ullis quietem, sed ubique spinas et tribulos, pertaesus vitae prioris, *Ad te, Domine, levavi animam meam*, a te auxilium contra tentationes expecto, et quia *in te confido, non erubescam*, sive non recedam a te confusus, auxilio non impetrato; ita ut cogar erubescere coram inimicis meis.

2. *Neque irrideant me inimici mei; etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.* Explicat quod dixerat: *Non erubescam*. Per inimicos autem intelligi possunt tum homines perversi, tum etiam daemones. Reddit postea rationem, cur omnino con-

fidat se non irridendum ab his, et consequenter non confundendum, *quoniam*, inquit, *universi qui sustinent te*, id est, qui in te confidentes patienter auxilium tuum expectant, *non confundentur*. Sustinere Dominum in Scripturis frequentissimum est, et significat, expectare Dominum cum certa spe auxilii.

3. *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue*. Retorquet propheta confusionem in hostes, q. d. Ne sinas, Domine, ut ego confundar, quod fieret, si inimici mei me irriderent, et de perditione mea exultarent, sed contra confundantur ipsi, dum cernunt se *supervacue*, id est, temere, frustra et sine causa inique egisse, ut me ad impatientiam provocarent.

4. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me*. Cum postulasset auxilium Domini contra tentationes, explicat, quale auxilium potissimum habere desideret, atque ait: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi*, id est, fac me ambulare per vias mandatorum tuorum, *et semitas tuas edoce me*, id est, ostende mihi angustum iter iustissimae legis tuae. Sic enim evadam omnes irrisiones inimicorum et non ego confundar, sed confundentur ipsi, qui frustra me suis tentationibus exagitant. Porro cupit doceri legem Domini, non speculative, sed practice, id est, cupit gratiam, ut libenter impleat mandata.

5. *Dirige me in veritate tua, et doce me; quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die*. Idem repetit, et rationem addit. *Dirige me, etc.*, id est, tu dirige me ducens auxilio gratiae tuae per viam rectam *in virtute tua*, id est, in lege tua, quae verissima via est. *Quia tu es, Deus, salvator meus*, id est, ideo a te auxilium hoc peto quia tu solus,

qui Deus es, potes salvare animam meam. Et praeterea hoc a te peto et spero, quia *te sustinui tota die*, id est, perseveranter et patienter expectavi auxilium tuum, neque aliunde consolationem quaesivi.

6. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.* Inter miserationem et misericordiam hoc interest, quod miseratio significat actum, misericordia habitum miserendi, adeoque sensus est, Recordare, Domine, te ab aeterno misericordem fuisse, nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum.

7. *Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.* Pulcre opponit reminiscendae oblivionem, q. d. Reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere peccatorum meorum. Nam unum est causa alterius: tunc enim Deus reminiscitur misericordiae suae, quando non vult amplius reminisci peccatorum nostrorum; sed ea remittit ac delet, ac si aeternae oblivioni mandentur. Commemorat autem peccata iuventutis et ignorantias, quia his magis, quam aliis misericordia convenit.

8. *Secundum misericordiam tuam memento meo: propter bonitatem tuam, Domine.* Declarat, quod dixerat, reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere delictorum meorum: hoc enim totum fit, cum Deus recordatur hominis peccatoris, secundum misericordiam et bonitatem suam.

9. *Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Confirmat ipse se in spe impetrandi, affirmans Dominum bonum et iustum esse; et ideo libenter corrigere solere delinquentes in via huius vitae, eisque demonstrare legem suam, ac persuadere, ut ipsi etiam ex iniquis et malis, boni et iusti efficiantur.

10. *Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.* Declarat quod dixerat: *legem dabit delinquentibus*, ac dicit non de omnibus delinquentibus id intelligendum esse, sed de mansuetis et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imo doceri cupiunt, hos enim *diriget*, sive ducet per viam rectam legis suae (quae saepius in Scripturis *iudicium* appellatur), et hos *docebit vias suas*, id est, mitibus dabit gratiam cognoscendae ac amandae; et per hoc implendae legis.

11. *Universae viae Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum eius, et testimonia eius.* Addit ad id quod dixerat, non solum a Deo dirigi mansuetos, sed omnes viae Dei, sive modus agendi cum talibus hominibus esse misericordiam et veritatem; id est, misericordiam et iustitiam, quatenus iustitia accipitur pro fidelitate et veritate, quae, quod promittitur, implere facit. *Universae viae Domini*, id est, ratio et modus agendi, quem Deus servat erga homines, est *misericordia*, seu beneficentia *et veritas*, id est, fidelitas in praestandis promissis suis et petitionibus nostris, his enim quasi viis graditur Deus ad homines. *Requirentibus testamentum eius, et testimonia eius*, id est, illis misericordem et veracem se exhibet Deus, qui legem suam foedere, et testamento sancitam, et qua voluntatem suam testificatur, studiose servaverint.

12. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.* Ut manifestetur in me haec, de qua dictum est, misericordia et veritas (id enim significat *propter nomen tuum*, sive propter temetipsum, et inexhaustam bonitatem tuam) *propitiaberis peccato meo*, quod *multum est*. Potest autem dici multum vel propter multitudinem, vel propter magnitudinem et gravitatem.

13. *Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.* Narrat bona, quae assequuntur timentes Deum. *Quis est, inquit, homo qui timet Deum?* q. d. Prodeat in medium homo vere timens Deum, et audiet ex me felicitatem suam. *Legem statuit ei in via quam elegit,* est initium felicitatis, quam propheta enarrandam suscepit: q. d. ille timens Dominum hoc inprimis habebit, quod Deus eum instruet in lege sua in via quam elegit, sive in vitae statu, quem elegit. Ita Theodor., Euthym. et alii. Est itaque hic primus fructus timoris Domini, alios quaternos enumerat in sequentibus duobus versibus.

14. *Anima eius in bonis demorabitur: et semen eius haereditabit terram.* Alia felicitas timentis Deum est, quod *anima eius*, id est, ipse timens Deum, *in bonis demorabitur*, id est, bonis permanenter et stabiliter fruatur, nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Proinde timens Deum semper fruatur bonis, quia si res bene cedant, fruatur bono prosperitatis, si contra, fruatur bono patientiae et spe magni praemii in regno coelorum. Quin et filii timentium Deum haereditabunt vel possidebunt terram, id est, pacifice habitabunt in terra, et nihil eis nocebit in eo sensu quem attigimus.

15. *Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.* Est rursus magna felicitas, quod timentes Deum non innitantur rebus caducis et perituris, sed Deus ipse sit *firmamentum* eorum, id est, in Dei amicitia et auxilio fundatas habeant spes suas. *Et testamentum ipsius, ut manifestetur illis,* id est, pactum, quod Deus pepigit cum hominibus, ut sit eorum Deus; si ipsi leges eius servaverint illud, inquam, pactum, supplendum, faciat, et manifestetur illis, sive ut

cognoscant, quod paulo ante dictum est, videlicet, Deum esse firmamentum timentium se.

16. *Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Laudata paulisper felicitate timentium Dominum, revertitur ad eam optandam et petendam, *Oculi mei semper ad Dominum*, id est, assidue respicio mentis oculis Deum, tanquam ab ipsius auxilio totus pendens. Ideo autem tam intente in eum respicio, *quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, id est, quoniam ipse tandem, ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum, quae, veluti laquei, ubique nobis in hac vita insidiantur.

17. *Respice in me et miserere mei; quia unicus et pauper sum ego.* Quia ipse Deum semper respicit, merito petit ut respiciatur a Deo. Hoc enim est, quod tacite petebat, cum oculos intentos in Deum haberet, nimirum ut misericorditer respiceretur eius solitudo et paupertas. Dicit se *unicum*, id est solum et desolatum, quia ipse animo se ab omnibus aliis separaverat, et in Deo solo omnem spem posuerat. *Pauperem* autem se dicit, quia humilis erat, et se virtutibus ac meritis vacuum arbitrabatur.

18. *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt; de necessitatibus meis erue me.* Intelligentus est hic locus potius de tentationibus peccatorum, quam de adversitatibus temporalibus. Necessitates, autem a quibus liberari cupit, videntur esse molestissimae illae concupiscentiae, quae velimus, nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt.

19. *Vide humilitatem meam et laborem meum; et dimitte universa delicta mea.* Pergit in oratione, et petit sibi remitti peccata, in quae aliquando prolabitur. Quamvis enim affligatur timens Deum, et

multum laboret resistendo concupiscentiis, tamen septies in die cadit iustus, sed hinc etiam iustus esse probatur, quod sordes, quas minus caute ambulando contrahit, studiose flendo et orando abluit. Per *humilitatem* hoc loco non intelligit virtutem humilitatis, sed abiectioem et vilitatem. Vilescit enim sibi vir iustus vehementer, cum immaculatus esse cupit, et tamen sordes non evadit.

20. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.* Ab alio loco ducit argumentum, videlicet a multitudine et crudelitate hostium, q. d. Vidisti, Domine, *humilitatem et laborem meum*, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem et crudelitatem, atque iniquitatem. Hostes isti sunt daemones: eos innumerabiles esse, et *odio iniquo* in nos ardere notum est. Dicitur odium iniquum, vel cum quis alium sine causa odit, a quo videlicet nullam accepit iniuriam, vel, cum quis alteri nocere studet, solo studio nocendi, non ut ipse aliquid inde lucretur. Tale omnino est odium diaboli erga genus humanum, ut patet.

21. *Custodi animam meam, et erue me; non erubescam quoniam speravi in te.* Cum tot hostibus circumdatus sim, non sufficio meis viribus illis resistere, ideo ad te recurro, ut tu custodias animam meam, et custodiendo liberes, et eruas de manibus eorum.

22. *Innocentes et recti adhaeserunt mihi, quia sustinui te.* Quia dixerat supra, *non erubescam, quoniam speravi in te*, adiungit rationem; cur timeat erubescere, si a Deo deseratur, et ratio haec est, quoniam multi viri *innocentes et recti* exemplo ipsius commoti *adhaeserunt illi*, ob id potissimum, quod videbant ipsum sperare in solo Deo. Qui certe cogent eum erubescere et confundi, si spe sua frustraretur.

23. *Libera, Deus, Israël ex omnibus tribulationibus suis.* Posteaquam oravit satis diu pro se, tanquam princeps et caput, etiam orat pro toto populo, q. d. Mihi non satis est si solus ab angustiis meis liberer, sed peto etiam, ut liberes Israël, populum scilicet israeliticum ab omni genere tribulationum.

PSALMUS XXV.

Synopsis

Cum David gravissimis calumniis accusaretur, quasi regnum invadere appeteret, et propterea exulare, et latibula quaerere cogeretur, scripsit hunc psalmum, in quo Deum innocentiae suae testem adducit eundemque pro liberatione sua precatur. Argumentum est fere idem quod psalmi septimi.

1. *Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; et in Domino sperans non infirmabor.* David cum rege causam habens, Deum quodammodo appellat, qui Rex regum est. *Iudica me, Domine*, id est, sis tu, Domine, iudex meus, non sinas a Saule me iudicari, sed assume tu hoc iudicium. *Quoniam etc.*, id est, audacter provocho ad iudicium Dei, quoniam conscientia mea me non reprehendit, nam in innocentia ambulavi, id est, innocenter vixi *et in Domino sperans non infirmabor*, id est, in Dei iustitia confidens, non deficiam in hoc iudicio, sed praevalebo, sive non ero infirmus et debilis, ut causa cadam.

2. *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos, et cor meum.* David fretus bona conscientia et sinceritate cordis sui, dicit Domino: *Proba me*

et tenta me, id est, explora diligenter, an ita sit, inspice intimos et profundissimos recessus cordis mei: quin etiam *ure renes meos et cor meum*, id est, examina cogitationes et appetitiones meas, ea diligentia, qua probatur aurum, cum igne examinatur. Et quia Deus omnia exactissime videt et perspicit, sensus est, ut Deus notam faciat hominibus innocentiam servi sui, et inimicorum calumnias refellat.

3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.* Reddit rationem, cur velit probari et tentari tanquam innocens, q. d. Peto ut probes me, quoniam per vias tuas ambulavi, nam omnes viae tuae misericordia et veritas. *Misericordia tua ante oculos meos est*, id est, semper aspicio et considero misericordiam tuam, ut illam imiter, et iuxta eam cum proximis vivam. Similiter *complacui mihi in veritate tua*, sive placuit mihi veritas tua, et ideo iuxta illam ambulavi. In Hebraeo est, ambulavi in veritate tua.

4. *Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.* 5. *Odivi ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.* Hi versus intelligendi sunt de conventibus gentilium idololatrarum in suis profanis templis, a quibus David semper abhorruit, dum exulavit apud regem Philistinorum. Ita Theodoretus Vocat autem coetum idololatrarum *concilium vanitatis*, quia nihil inanius idolis, quae sunt falsae imagines. Iidem idololatrae recte dicuntur *iniqua agentes*, quia summa iniquitas est, cultum soli Deo debitum rebus creatis exhibere. Quod autem dixerat *concilium vanitatis*, postea dicit *ecclesiam malignantium*, et quos vocaverat *iniqua agentes*, vocat *impios*.

5. *Lavabo inter innocentes manus meas, et cir-*

cum dabo altare tuum, Domine. Posteaquam dixerat, se odisse conventicula infidelium, inter quos tunc versabatur, adiungit se e contrario, summo amore prosequi tabernaculum Domini, et conventum sanctorum; ac breviter describit, quid sit facturus, cum, Deo adiuvante, ab exilio in patriam revocatus fuerit. *Lavabo, inquit, inter innocentes manus meae*, id est, lavabo manus ante ingressum tabernaculi, ut homines pii facere solent. Loquitur de ritu hebraeorum, qui ante ingressum tabernaculi se ipsos purificabant; quae lotio externa signum esse debebat internae puritatis; addit igitur *inter innocentes*, id est, lavabo manus in signum verae puritatis internae, ut innocentes faciunt, non autem lavabo manus cum hypocritis, qui manus puras et cor sordidum gerunt. *Et circumdabo altare tuum*, id est, cum choris canentium et psallentium circuibo altare tuum.

7. *Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.* Explicat ad quid altare Domini circumdare velit, nimirum, ut choris canentium immistus, audiat laudes Domini, et ipse etiam eas canat.

8. *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.* Ostendit propheta, nulla alia de causa magis sibi molestum fuisse exilium, nisi quia tabernaculum Domini videre non poterat. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca foederis, *domus Dei, et locus habitationis gloriae eius*, quoniam saepe in eum locum descendebat nubes lucida in signum praesentiae Dei, et quia in eodem loco erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solebat.

9. *Ne perdàs cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Quoniam Deum

iudicem initio appellavit, et innocentiam suam, cuius idem Deus testis erat, exposuit; concludit, orans, ut pro se sententia proferatur, et ait: *Ne perdas cum impiis, etc.* id est, non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles. Per *viros sanguinum* intelligit homicidas, quales erant, qui eum persequabantur.

10. *In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.* Declarat, qui sint impii et viri sanguinum, de quibus dixerat, ac dicit, eos esse, qui perverse iudicant ob accepta munera; notat enim peccata principum, qui sunt iudices populorum. Ita s. Athanas.

11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.* Repetit causam, cur non debeat condemnari cum impiis, quia videlicet innocenter vixerit. Petit ergo, ut Deus eum liberet a praesenti calamitate, et etiam deinceps misereatur, ne iterum in eandem incidat. Porro redimere, in Scripturis passim ponitur pro liberare.

12. *Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.* Respiciunt haec verba illud, quod dictum est: *et miserere mei*; q. d. petii a te liberationem a praesenti calamitate, quia innocenter vixi, peto etiam, ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, id est, stabilitus et fixus est *in directo*, sive in rectitudine, et per hoc non facile recedam a recto tramite legis tuae. Et pro gratiarum actione *benedicam*, et laudabo te hymnis et psalmis *in ecclesiis*, id est, in piorum conventibus.

PSALMUS XXVI.

Synopsis

Docet in maximis periculis maxime fidendum Deo, et anhelandum ad vitam aeternam. Compositus est hic psalmus a Davide, priusquam, occiso Saule, in Regem unctus fuisset publice ac solemniter. L. II Reg., c. II. Atque de hac posteriore unctione, non de illa qua adhuc puer, oleo linitus fuit a Samuele, intelligendus est hic psalmi titulus: Psalmus David priusquam liniretur.

1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Tribulatio tenebras adducit; perturbat enim et confundit animum, ut non facile videat quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel alia peccata provocatur; sed si Deus, lumine divinitus immisso, tenebras disiiciat, continuo cernit animus, tribulationem, protegente se Deo, non solum non posse nocere, sed etiam prodesse. Hoc Dei beneficium expertus David in persona sua, et omnium electorum canit: *Dominus illuminatio mea, etc.*, q. d. ignorantia et infirmitas timidum me in tribulatione reddebant, sed cum Dominus illustraverit iam mentem meam, neminem timeo.

2. *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?* Addit aliud argumentum, quo sibi ipse persuadet, nullum timorem deinceps esse admittendum: Dominus, inquit, non solum illuminat et sanat, sed etiam protegit assidue scuto providentiae et benevolentiae suae.

3. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* 4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Describit effectum protectionis Dei, et praeteritum pro futuro ponit, more prophetarum, ad designandam rei certitudinem. Sen-

sus igitur est, ex protectione Dei fiet, ut cum appropinquabunt super me ii qui nocere mihi cupiunt, et quasi canes, aut leones carnibus meis saturari desiderant; tunc isti ipsi qui tribulant me, et inimici mei sunt, debiles fient, et corruent, et ita conatu suo, non mihi, sed sibi nocebunt.

5. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* 6. *Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.* Addit ad ea quae dixerat, ut spem et fiduciam plenissimam se in Deo habere demonstrat, non solum se non timere singulos hostes, sed neque integra castra, et ea non in tentoriis quiescentia, sed in acie praeliantia. Illud *in hoc ego sperabo*, significat sperabo in hac re, vel in hoc, videlicet quod Deus sit illuminatio, et protectio mea, ut supra dictum est.

7. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* Explicat propheta radicem veram confidentiae in Deum, et cur non timeat malum aliquod temporale: Radix enim est ingens charitas in Deum: qui enim ardenter diligit summum ac aeternum bonum, nihili facit omnia temporalia. *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram*, id est, nihil temporale appeto, non magni facio iacturam omnium aliarum rerum, modo unam rem habere merear; ideo hanc *unam petii*, hanc unam petam, ut videlicet *inhabitabilem in domo Domini*, coelesti nimirum, non ad tempus duntaxat, sed *omnibus diebus vitae meae*, id est, quamdiu durabit vita sanctorum cum Deo, sive in aeternum.

8. *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum eius.* Docet, cur in domo Domini habitare desideret, quia videlicet ibi est perfecta felicitas, quae in intellectuali visione Dei consistit, ex qua

ineffabilis voluptas, et delectatio sequitur. *Et visitem templum eius*, et deinde si videam pulcritudinem Domini, etiam oculis perlustrem totum illud coeleste Dei templum, et omnia quae in eo sunt. Nam revera post visionem Dei, nihil iucundius occurrere potest, quam spectaculum illius coelestis patriae, et divinae illius domus, in qua sunt omnes sancti.

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Reddit rationem cur tam audacter petat habitare in domo Domini, et videre pulcritudinem eius: quia gustare iam coepit, quia dulcis est Dominus, quasi brevissime diceret, audeo petere gloriam, quoniam percepi gratiam. Sunt autem verba omnia metaphorica, et sensus est: Tempore praesentis vitae, in qua dies mali sunt, tam singulari providentia Deus me defendit, ac protexit, ac si in intima et abditissima parte tabernaculi sui me collocasset. Ex hac autem tanta Dei gratia et benevolentia spem concipio, me aliquando ad domum Domini perventurum, quod unum peto et requiro.

10. *In petra exaltavit me: et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Alia metaphora idem significat, nimirum se a Deo singulari providentia protectum ac defensum, ac si in arce munitissima et altissima collocatus fuisset. Itaque sensus est: *In petra exaltavit me*, id est, posuit me in loco sublimi et munito, et ex eo quod nunc in hoc loco consisto, factum est, ut *caput meum sit exaltatum super inimicos meos*, id est, sim superior et victor inimicorum meorum.

11. *Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis; cantabo et psalmum dicam Domino.* Propheta, per contemplationem supra ter-

rena omnia exaltatus, erumpit in admirationem operum Dei et laudem opificis omnipotentis. *Circuivi*, id est, mente perlustravi opera Dei, *et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*, id est, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod est coelum, quo per contemplationem ascendi, magna voce laudavi Deum, quae laus est illi sacrificium quamgratissimum. Et sic etiam deinceps eum laudare pergam, *et cantabo et psalmum dicam Domino*.

12. *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; miserere mei, et exaudi me*. Redit ad id, quod dixerat: *Unam petii, etc.* Atque in hac una petitione se exaudiri postulat. *Exaudi, inquit, Domine, vocem meam, qua scilicet clamavi: Unam petii a Domino, etc., miserere mei* hoc exilium acgre ferentis, *et exaudi me*.

13. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram*. 14. *Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo*. Haec non tam egent explicatione, quam pia meditatione et imitatione. *Tibi dixit cor meum*, id est, tibi loquitur desiderium meum, *exquisivit te facies mea*, id est oculi interiores animae meae tuam pulcritudinem requirunt, *faciem tuam, Domine, requiram*, id est, hoc semper erit studium meum, ut conspectum tuum quaeram. *Ne avertas faciem tuam a me*, id est, noli cessare a me respiciendo, ne simul in me lumen obscuretur, et charitas refrigescat, *ne declines in ira a servo tuo*, id est, ne sinas me in peccata labi, ne forte iratus a me recedas.

15. *Adiutor meus esto; ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus*. Considerans, se suis viribus peccata cavere non posse, ob quae iram incurrimus, clamat ad Deum ut sua gratia adiuvari non cesset. Addit, *Deus salutaris meus*, quia

salvatoris est, non derelinquere et desplicere miserum, sed salvare.

16. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Datur fortis ratio, cur aequum sit Deum adiuvere, quia videlicet nemo sit illo amantior. Sensus autem verborum est: Ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi iacentem, et cuius iniuriae expositum, tu autem, Domine, ita abiectum et desolatum, hactenus benignissime assumpsisti, collegisti, ac fovisti.

17. *Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.* Quia se comparaverat infantulo, recte iam petit, ut se Dominus ambulare doceat; petit igitur gratiam, semper implendi mandata divina, quam gratiam in toto Psalterio frequentissime petere solet, cum ea sit via ad coelestem illam domum, quam unam se toto corde desiderare, paulo ante professus erat. Quod additur, *propter inimicos meos*, significat, valde necessariam esse gratiam Dei in hac peregrinatione, propter multitudinem hostium tum visibilibus, tum invisibilibus, qui nos a recta via legis divinae deducere conantur.

18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.* Pergit in eadem petitione; petit enim, non tradi in animam, id est, voluntatem et desiderium hostium, praesertim invisibilium. Sequentia verba: *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*, referenda sunt ad tentationes daemonum, vel hominum, qui falsis promissis, vel minis hominem iustum ad peccata perducere conantur. Hinc illud *testes iniqui*, accipiendum est, pro *testes falsi*, qui inique agunt, dum falsa pro veris testantur, vel

obtrudunt, ut ad iniquitatem impellant: quod additur, *et mentita est iniquitas sibi*, significat, iniquitatem nemini nocituram, quam proprio auctori, dum videlicet daemones vel homines iniqui in propriam perniciem, falsitatis laqueos iusto tetenderunt.

19. *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Reddit rationem, cur mentita sit iniquitas sibi. Ego enim, inquit, invitis omnibus inimicis, *credo*, id est, certo confido, me visurum *bona Domini* aeterna, scilicet *in terra viventium*, id est, in regione illa, ubi mors locum non habet.

20. *Expecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum*. Concludit per apostrophem ad se ipsum, sectandam esse patientiam et fiduciam in Deum, q. d. Ergo, anima mea, quia desideras in domo Dei habitare, noli deficere in tribulationibus, neque terrenas consolationes respicias, sed *expecta Dominum*, id est, cum fiducia *expecta* auxilium et consolationem Domini. Hinc *viriliter age*, seu roborare, roborare autem non armis exterioribus, sed *confortetur cor tuum*, excita animum et *sustine*, id est, patienter *expecta* consolatorem et adiutorem *Dominum*, qui sine dubio cum sit fidelis et iustus, *veniens veniet, et non tardabit*.

PSALMUS XXVII.

Synopsis

Videtur hic psalmus a Davide cantatus in persona Christi, cuius passionem, et glorificationem coniungit, et est psalmus iste quasi compendium psalmi 21. Ita sentiunt Aug. et Hier. Notant Cassiodor., Dionys., Lombard. et Beda psalmum de Christo solo intelligendum esse, quando in psalmi titulo ponitur τὸ ipsi, uti hic fit. Titulus enim est: Psalmus ipsi David.

1. *Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me: nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.* Sunt verba Christi pendentes in cruce, ac postulantis celerem resurrectionem. *Deus meus, ne sileas*, quasi non audieris vocem meam, ne veluti surdum te mihi exhibeas. Illud *a me*, idem est quod *mihi*, ex hebraica phrasi. Breviter petit exaudiri se et respondere sibi a Deo ad id quod petit. *Nequando taceas a me*, etc. Id est, ne forte si non exaudias, contingat, ut ego per omnia similis fiam *descendentibus in lacum*, id est iis qui moriuntur, et ad inferos descendunt sine spe resurgendi, nisi in novissimo die. *Lacus* potest accipi etiam pro sepulcro, hic autem melius pro loco subterraneo animarum.

2. *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Quod antea dixerat, *ne sileas et ne taceas*, nunc clarius dicit, *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae, dum oro ad te*; volebat enim Deum respondere ut id signum esset exauditionis. Illud *dum extollo manus meas*, significat a signo eandem ipsam orationem, nam solebant hebraei manus in altum tollere dum orabant. Allusit vero

propheta ad manus Domini in cruce extensas, et ad coelum sublatas. *Ad templum sanctum tuum*, id est, ad templum coeleste, ut iam supra observatum est.

3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus: et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Solus Christus id vere dicere poterat, ipse enim solus fuit *segregatus a peccatoribus*: proinde iustissime petit ut non iudicetur, et pereat cum peccatoribus, sed ipsam potius mortem occidat, et ipse resurgens de morte gloriose triumphet; sensus itaque est: Ne trahas me ad interitum cum caeteris hominibus qui peccatores sunt, cum ego peccator non sim.

4. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Describit peccatores ab eo peccato, quod universalius et communius est, quasi dolus fere tam late pateat quam peccatum. Certe plurimi sunt, qui volunt videri amici, et tamen ab amore proprio excaecati malum habent in corde, id est, odio vel invidentia erga eosdem proximos afficiuntur.

5. *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.* 6. *Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.* Haec non imprecatio, sed prophetia est, ut alias monuimus, et significatur, omnino futurum, ut mali male pereant, nisi ex malis boni fiant. Est ergo sensus: Dabis peccatoribus *secundum opera eorum*, id est, ea poena quam haec merentur, eos afficies. *Et secundum nequitiam, etc.* Id est, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt varios modos vexandi iustos, ita tu per sapientiam invenies varios modos cruciandi peccatores, et denique *reddes eis retributionem* suam, id est, ipsi retribuunt iustis mala pro bonis, sed tu eam retribu-

tionem convertes in caput eorum, facies enim, ut illis noceat, non iustis.

7. *Quoniam non intellexerunt opera Domini; et in opera manuum eius: destrues illos, et non aedificabis eos.* Hinc apparet fuisse prophetiam, et non imprecationem, quod supra dictum est, non enim dicit, destrue, sed *destrues eos*, significatur his verbis radix omnium malorum, quae est, nolle intelligere opera Domini, quae fecit in creatione, redemptione, gubernatione, etc. Ait igitur, *quoniam peccatores non intellexerunt opera Dei*, et non intenderunt *in opera manuum eius*, sive quae manibus suis, idest, per se immediate fecit, ideo tu, Domine (iam alloquitur ipsum Deum) *destrues illos, et non aedificabis eos*, id est, sine ulla restorationis spe perdes eos in aeternum.

8. *Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.* Transit iam ad gloriam resurrectionis Domini, et in persona Christi gratias agit, dicens: *Benedictus*, etc.

9. *Dominus adiutor meus, et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adutus sum.* Explicat in quo exaudita sit oratio sua, scilicet, quod Deus, qui in se sperantium adiutor et protector esse solet, eum adiuverit, ut mortem plane vicerit.

10. *Et refluoruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.* Describit effectum auxilii et protectionis Dei, qui fuit gloriosa resurrectio. *Refluoruit caro mea*, id est, caro mea, quae per mortem exaruit, non solum rediit ad vitam, sed ad florem aetatis, laetitiae, venustatis maximae rediit. Et ideo *ex voluntate mea*, etc., id est, ex corde laudabo eum.

11. *Dominus fortitudo plebis suae: et protector salvationum Christi sui est.* Haec est materia laudis sive confessionis, de qua dixerat, quod videlicet

Dominus sit fortitudo plebis suae, quod ostendit, dum tam potenter protexit salutem Christi sui, qui est caput totius plebis, et a quo omnis salus totius populi pendet.

12. *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae; et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.* Christo, qui caput est Ecclesiae, glorificato, hoc superest, ut corpus eius, id est, populus Dei, qui est peculiaris haereditas Dei, quam acquisivit sanguine suo, pariter glorificetur. Dicit igitur Christus ad Patrem, vel Propheta ad Christum: *Salvum fac populum tuum*, ut autem salvum facias, *benedic* iustificando, *rege* protegendo, *extolle* glorificando in aeternum.

PSALMUS XXVIII.

Synopsis

Excitat homines ad victimas et laudes Deo offerendas ob maximam eius potentiam, et maiestatem. Decantatus est autem hic psalmus, cum perfectum esset tabernaculum, quod Rex David in monte Sion construxerat, ut in eo arcam reponeret. Patet ex titulo: Psalmus David. In consummatione tabernaculi.

1. *Afferte Domino; filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Id est, agnos. Cantaturus Propheta laudes potentiae divinae, excitat *filios Dei*, id est, populum Dei peculiarem, ut potentiam illam honorent victimis eo tempore consuetis, et etiam praedicatione vocis, et corporis inclinatione, ut sequitur.

2. *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius; adorete Dominum in*

atrio sancto eius. Haec est declaratio sacrificii; quod offeramus Domino, monet. *Afferte Domino gloriam etc.* Id est, in voce et opere glorificate Dominum. *Adorate Dominum,* est, etiam corporis inclinatione illum veneramini, et per veram adorationem supremum Dominum protestamini. Per *atrium sanctum* intelligitur vel vestibulum tabernaculi, vel ecclesia, quae est velut atrium, seu vestibulum tabernaculi coelestis.

3. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.* Incipit explicare, cur invitaverit ad laudandam, et celebrandam Dei potentiam, quia scilicet *vox Domini* mirabilia operatur. Prima operatio Dei est in aquis, quae describitur cap. 1 Gen. Tunc igitur facta est *vox Domini super aquas,* cum Deus imperavit, ut aquae dividerentur, et divisae congregarentur in unum locum. Haec ipsa *vox* dicitur tonitruum, *Deus maiestatis intonuit,* quia sicut tonitru nos continuo prosternit, et obedire cogit: sic ad imperium Domini continuo aquae recesserunt, et in loca humiliora se receperunt. Fuit autem haec *vox,* et hoc tonitruum *super aquas multas,* quia tunc aquae totam terram cooperiebant.

4. *Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia.* Nam *vox Domini* iubentis, ut aquae in principio creationis dividerentur non fuit inanis, et sine effectu, sed fuit *vox* plena virtute et gloria, atque ad eam continuo est consecutus effectus. Allegorice *vox Domini* est praedicatio Evangelii, quae in magna virtute et gloria miraculorum totum orbem terrarum conturbavit, collustravit, et inflammavit.

5. *Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani.* Transit Propheta ab o-

peratione Dei in aquis ad operationem in aëre. Significat autem his verbis, *vocem Domini*, id est, imperium Domini excitare ventos et tempestates. Et sane mirabilis est potentia Dei, quae rei tam exili ac tenui tantam virtutem attribuit, ut etiam maximas arbores in momento prosternat et confringat. Nominat autem *cedros, et cedros Libani*, quia cedri sunt arbores durissimae, et maximae, et eae nusquam maiores inveniuntur, quam in monte Libano.

6. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Nempe *comminuet eas (cedros)* per ventum et turbinem, ac per hoc fragmenta, et frusta in varias partes exilire faciet, quomodo vituli pascentes in Libano exilire ac saltare solent. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Id est, ut salit dilectus filius monocerotis. Vocatur autem filius unicornium *dilectus*, quod sit speciosum et amabile animal. Allegorice, vox evangelicae praedicationis viros excelsos, velut cedros, et obstinatos ad humilitatem fidei inflectet, et idola et fastum saeculi confringet, et tunc Christus dilectus Patris filius innotescet, ut filius unicornis, fortissimo cornu suo (cruce scilicet) venena scelerum et pravorum dogmatum dispellens.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.* In prima parte huius versus transit Propheta ab operatione Dei in aëre, ad operationem Dei in igne, ac dicit, *vocem Domini*, id est imperium, et potentiam Domini *intercidere*, id est, dividere *flammam ignis*, id est, fulmen: nam tonitru eiaculatur fulmina quasi dissecta, unum post aliud. In altera parte celebrat Propheta potentiam Dei operantis in terra, ac dicit, *vocem Domini concutere, et commovere desertum*, in hebraeo ha-

betur *parturire faciet*, ut significetur mirabilis potentia Dei, quae sicut montem Libani potest, cum voluerit, cedris omnibus spoliare, et desertum facere: ita e contrario potest ipsum desertum *Cades*, ubi nihil nasci solet, unica concussione, ac commotione parturire facere, et continuo arboribus ac animalibus replere. Porro *Cades* est vasta et horrida solitudo in Arabia.

8. *Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.* Transit Propheta ab elementis, in quibus potentiam Dei laudaverat, ad animantia, et plantas, post etiam laudaturus in hominibus. *Vox Domini praeparantis cervos*, ponit loco exempli operationem Dei in cervis. Nam cervae, ut habetur Iob xxxix, summa difficultate pariunt. Mira igitur potentia Dei in eo cernitur, ut cervas parere faciat, nam *praeparare cervos*, ex hebraeo et graeco, est praeparare ad pariendum. *Et revelabit condensa*, sive, ut in hebraeo habetur: aperiet silvas, per quod significatur operatio Dei in arboribus; et sensus est, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia; ipse enim omnia penetrat, etiam densissimas silvas, et ubique operatur, et ideo *in templo eius omnes dicent gloriam*, id est, omnes creaturae Deum laudant, et glorificant in hac rerum universitate quae est veluti templum eius.

9. *Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus Rex in aeternum.* Reddit praeterea causam, cur omnia dicant gloriam Deo, quia videlicet Deus *diluvium inhabitare facit*, id est, copiosum imbrem effundit super terram, ex quo rebus omnibus alimentum producitur, et vita sustentatur, et ipse idem Deus his omnibus memoratis effectibus praesidet, et sedebit Rex et Dominus in aeternum omnia videlicet regens, omnia gubernans, omnia disponens.

10. *Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.* Haec est conclusio psalmi, in qua Propheta, qui laudavit Dei potentiam in omnibus aliis rebus mundi huius inferioris, laudat postremo in hominibus, id est, *populo suo*, cui dandam esse dicit a Deo *virtutem*, sive robur et vires contra adversarios, et iis superatis, dulcissimam quietem et pacem.

Non videtur hic praetereunda pia quorundam observatio, qui vocem Domini septies in Psalmo repetitam, septem Ecclesiae Sacramentis accommodant, ut vocem Domini super aquas Baptismo, vocem Domini in virtute Confirmationi, vocem Domini in magnificentia Eucharistiae, vocem Domini confringentis cedros Poenitentiae, vocem Domini concutientis desertum Ordini, vocem Domini intercedentis flammam ignis Matrimonio, vocem Domini praeparantis cervos Extremae Unctioni convenire velint.

PSALMUS XXIX.

Synopsis

David gratias agit Deo, quando domus eius in Jerusalem magnificentissime extracta dedicata fuit. Tunc enim intellexit regnum suum a Deo confirmatum, et stabilitum fuisse, et ideo in gratiarum actionem hunc hymnum cecinit Deo. Huius psalmi titulus est: Psalmus cantici. In dedicatione domus David. Allegorice psalmus convenit Christo resurgenti.

1. *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.* David, confirmato regno, arce Sionis munita, et domo regis

magnificentissime extracta, Deum agnoscens tantorum beneficiorum auctorem, gratias agit, ac dicit: *Exaltabo te, Domine*, apud eos videlicet, qui altitudinem tuam minus cognoscunt, *quoniam suscepisti me de profundo humilitatis*, et exaltasti in solium Regni, *nec delectasti inimicos meos super me*: hoc ex illa exaltatione consecutum est, ut inimici David non habuerint materiam gaudendi ex eius interitu, quem expetebant, sed contra dolendi ex illa exaltatione, quam impedire conabantur.

2. *Domine, Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.* 3. *Domine, eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.* Revocat Propheta in memoriam angustias suas, quas ante regnum adeptum passus est, q. d.: cum in periculis mortis tam saepe versarer, et ob id aegritudine animi contabescerem; tu, Domine, *sanasti me*, et a morte propinqua ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses. Illud *salvastis me a descendentibus in lacum*, significat, quasi a mortuis me excitasti, nam per descendentes in lacum intelliguntur mortui.

4. *Psallite Domino, sancti eius: et confitemini memoriae sanctitatis eius.* David parum esse iudicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios, qui similia beneficia perceperunt, ut Deum laudare non cessent. Illud *confitemini memoriae sanctitatis eius*, hunc sensum habet: Laudate memoriam sanctam eius, quod videlicet vestri memor fuerit memoria sancta, memoria pia, memoria paterna, non ad puniendum, sed ad sanctificandum. Porro passim in lingua hebraica ponitur nomen substantivum in genitivo, pro adiectivo in nominativo, v. g. memoria sanctitatis, etc., pro memoria sancta, templum sanctum, etc.

5. *Quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius.* Reddit rationem, cur dixerit laudandam esse memoriam sanctam, quam de nobis habet Deus. Ratio enim est, quia Deus si nos punit, id facit ex *indignatione*, quam peccata nostra provocant, id est, ex iusto iudicio: sed alioqui in *voluntate*, et electione eius non est poena, sed *vita*. Itaque per *iram* hic intelligitur poena et castigatio, quae dicitur *ira*, quia est effectus irae: per *indignationem* intelligitur iustum Dei iudicium, ut s. Basilii, et alii exponunt.

6. *Ad vesperum demorabitur fletus: et ad matutinum laetitia.* Sensus est: Inde probari, iram esse in indignatione Dei, sed in voluntate, et beneplacito eiusdem esse vitam electorum suorum: quia post fletum ex castigatione et poenitentia natum, statim succedet laetitia ex remissione et reconciliatione. Porro in Christo ad litteram impletum est hoc vaticinium. Nam ad vesperum cum dolore mortuus est, et ~~ad~~ matutino cum laetitia resurrexit.

7. *Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum.* Vicissitudinem irae et vitae, fletus et laetitiae, de qua dixerat, demonstrat in sua persona, et dicit, se aliquando tanta pace, et bonorum temporalium copia abundasse, ut existimaret illa sibi perpetuo adfutura. *Ego autem dixi in abundantia mea*, id est, dum bonis abundarem, *non movebor in aeternum*, tam bene fundata est felicitas mea, ut semper duratura videatur.

8. *Domine, in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem*, q. d. ideo dixi: *non movebor in aeternum*, quia tu, *Domine, praestitisti virtutem*, id est, robur, ac vires *decori meo*, id est, felicitati meae, idque *in voluntate tua*, sive in beneplacito tuo, quia ita placuit tibi, ita voluisti et decrevisti.

9. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Iam declarat rerum vicissitudinem, quae tamen ex Dei providentia pendet. *Avertisti faciem tuam a me*, id est, paulo post, in medio cursu felicitatis meae destituisti me favore tuo, ut in odium regis Saulis inciderem, *et factus sum conturbatus*, inde enim exilium, fuga, mortis periculum, et alia mala exorta sunt. Haec omnia conveniunt in vicissitudines, quas patiuntur electi, cum peregrinantur in terris.

10. *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.* 11. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* 12. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Haec omnia videntur accipienda pro tempore praeterito, pro quo hebraei frequenter ponunt futurum. Dicit itaque David se tempore tribulationis et periculi clamasse ad Dominum, et inter alia allegasse, non esse utilem Domino mortem suam, quia mortuus non posset laudare Deum. *Ad te, Domine, clamabo*, id est, cum te avertente faciem factus sum conturbatus, ad te clamavi, et te deprecatus dixi: *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* id est, quid tibi proderit, Domine, effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus putrescam in sepulcro? certe *pulvis*, sive homo in pulverem redactus non laudabit te, nec *veritatem tuam*, id est, legem et promissa tua divina publice praedicabit (ut ego soleo) viventibus in hoc mundo.

13. *Audivit Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.* Affirmat igitur propheta tum in persona sua, tum in persona Christi, et electorum (omnia enim et dicta et dicenda his conveniunt;) clamorem suum esse a Deo exauditum.

14. *Convertisti planctum meum in gaudium mi-*

hi: *conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.* Hic est effectus exauditionis: David ex misero exule rex potens effectus, Christus ex mortuis resurgens, electus quisque ex valle lacrymarum ad coelum perveniens iustissime dicit, *convertisti planctum meum in gaudium mihi.* Quod sequitur, *conscidisti saccum meum, etc.* significat mutationem vestis lugubris in vestem laetitiae convenientem. Dicit autem, *conscidisti*, non *exuisti*, quia quod exiit, remanet integrum, quod scinditur, destruitur, ut deinceps non sit usui.

15. *Ut cantet tibi gloria mea et non compungar. Domine, Deus meus, in aeternum confitebor tibi.* Hic est ultimus finis gloriae Davidis, Christi, et sanctorum omnium, laus Dei. Sensus autem est, *ut cantet tibi laudem gloria, vel exaltatio mea, et non amplius compungar*, id est, dolore aut tristitia praepediatur a laude tua, unde *confitebor tibi*, seu laudabo te, *Domine, Deus meus, in aeternum.*

PSALMUS XXX.

Synopsis

Psalmum hunc composuit David in extasi (ut patet ex hoc eius titulo: In finem, Psalmus David, pro extasi) sive in mentis excessu, in quo constitutus erat ex repentino timore, quo corripiebatur, cum audivit Absalonem filium suum, et omnem populum contra se conspirasse. II. Reg. xv. Implorat autem, et impetrat opem Dei. Potest etiam psalmus hic ad Ecclesiam inter persecutorum angustias gementem accommodari.

1. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me.* David rex fugiens persequentem Absalonem, omni humano con-

silio destitutus, ad Deum recurrit, ac dicit: *In te, Domine, speravi*, et confido, quod nunquam mea spe frustrandus sim; igitur iuxta hanc spem meam, *libera me in tua iustitia*, id est, ob iustitiam tuam, qua impios punire soles.

2. *Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me*. Quia persecutio urgebat, petit velociter exaudiri; et de imminente periculo erui.

3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias*. Id est, esto mihi, o Deus, instar domus sive arcis munitissimae, in quam tuto confugere possim. Aptissime hoc petit David, nam fugiebat tum per campestria deserti, ubi nulla erat arx, in quam confugere posset.

4. *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me. et enutries me*. Optime respondet historiae: David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset, sciebat, neque unde alimenta conquireret. Itaque ait: *In gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, et ad nutrimentum cibos providebis*.

5. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus*. Id est, praeter ea liberabis me de insidiis, quas veluti laqueum absconditum tetenderunt mihi: vocat laqueum occultam conspirationem factam cum Absalone. *Quoniam tu es protector meus*.

6. *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis*. Quia de vita nondum securus erat, addit: *In manus tuas*, id est, curae, benevolentiae, ac potentiae tuae *commendo spiritum meum*, seu vitam meam. Quoniam tu saepe alias *redemisti me* de morte, tu, inquam, *Domine, qui es Deus veritatis*, id est, Deus verissimus vel fidelissimus.

7. *Odisti observantes vanitates supervacue.* 8. *Ego autem in Domino speravi; exultabo et laetabor in misericordia tua.* Reddit aliam rationem, cur Domino commendet vitam suam; quia videlicet Deus odio habet, qui non sperant in suo adiutorio, sed in rebus vanis. *Odisti observantes vanitates*, id est, somnia vel auguria, vel responsa daemonum. Potest etiam nomine vanitatis intelligi industria, vel astutia humana, et quaecunque consilium sine Deo vel contra Deum. *Ego autem* non in vanis eiusmodi confido, sed *speravi in Domino, et ideo exultabo et laetabor in misericordia tua*, quia nimirum sperantes in Domino misericordia divina non deserit. Additur vero supra *supervacue*, quia homines frustrantur in rebus vanis.

9. *Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.* 10. *Nec conclusisti me in manibus inimici; statuisti in loco spatioso pedes meos.* Allegat praeterea beneficia, ut gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Sensus est: *Exultabo et laetabor in misericordia tua*, quoniam huius pignus habeo, liberationem ex persecutione Saulis: tunc enim *respexisti humilitatem*, sive abiectionem et afflictionem *meam*; *salvast* etiam tunc *de necessitatibus*, vel angustiis *animam meam*, *nec conclusisti me in manibus inimici*, id est, non permisisti ut Saul, qui me quaerebat ad necem, voto suo potiretur, sed *statuisti in loco spatioso pedes meos*, id est, fecisti ut ex angustiis, in quibus haerebam, liberatus ambulare possem, quocumque vellem, quasi in aperto et libero campo constitutus.

11. *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.* Ex recordatione praeteritorum beneficio-

rum orat pro futuris, et narrat calamitates praesentes. *Miserere, etc. in ira tua*, qua peccatum meum punis, *conturbatus est oculus meus*, prae lacrymis caligavit, conturbata est etiam *anima mea*, dum magno timore concussa est, et denique conturbatus est *venter meus*, venter, inquam, interior animae meae, id est, memoria quae est receptaculum cogitationum.

12. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.* David iam ad senium pervenerat; hinc vere dicit, defecisse vitam suam in dolore, id est, aetatem consumptam in continuo moerore, et annos in gemitibus.

13. *Infirmata est in paupertate virtus mea; et ossa mea conturbata sunt.* Praeter afflictiones totius vitae praeteritae accessit et haec tribulatio, in qua propter inopiam (fugit enim sine ullo comœatu, et quidem nudis pedibus, et perrexit ad loca deserta, etc.) debilitatus vires pristinas amisit. Idem autem significat, *virtus infirmata est, et ossa conturbata sunt*, nam per ossa intelligitur robor, sicut etiam per virtutem.

14. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.* Explicat aliam calamitatem suam ex novissima persecutione exortam, quod videlicet coeperit despici a vicinis populis, qui audierunt tam turpem eius fugam; et noti eius, atque amici coeperint timere, ne si illi adhaerent, de vita periclitarentur apud Absalonem, si is forte victor evaderet.

15. *Qui videbant me, foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.* Declarat id quod dixerat, *et timor notis meis*, q. d. multi ex notis meis, qui viderunt me ita fugientem, et afflictum foras fugerunt, id est, longe a me re-

cesserunt, timentes vitae suae, si mihi iungerentur; atque ita *oblivioni datus sum a corde*, id est, cor eorum non recordatur mei, neque de me cogitant, non secus, ac si *mortuus* et sepultus essem: existimant enim de me iam actum esse.

16. *Factus sum tanquam vas perditum; quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Nec solum, inquit, amici et noti obliti sunt mei, et me dereliquerunt, sed etiam apud vicinos, qui in circuitu habitant, contemptui habitus sum: quasi *vas perditum*, id est confractum, inutile, quod vel inde patet, quia ego ipse vituperantes me audivi. Videtur mentionem facere vituperationis Semei, lib. II. Reg., c. xvi. Et quamvis ibi solius Semei maledicentis mentio fiat, tamen credibile est, multos alios eodem tempore male locutos fuisse de Davide.

17. *In eo, dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam, consiliati sunt.* lib. II. Reg. c. xvii habetur, post maledictionem Semei, consilium initum coram Absalone de Davide occidendo, atque hoc est, quod hic commemoratur.

18. *Ego autem in te speravi, Domine, dixi: Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meae.* Ostendit vir sanctus, inter tot angustias, se non despondisse animum, propterea, quod spem suam non posuisset in auxilio fallaci hominum, sed in Deo omnipotente, cui nemo resistere potest. *Ego autem in te speravi, Domine, quare? quia dixi in corde meo, Deus meus es tu*, magnum habeo protectorem, sine cuius nutu nemo mihi vitam eripere potest. Nam *in manibus tuis sortes meae*, id est, sortes vitae vel mortis meae, non pendent a sorte, sed a manu tua, id est, a potentia et voluntate tua.

19. *Eripe me de manu inimicorum meorum; et a persequentibus me.* Versus est clarus.

20. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, Domine, non confundar, quoniam invocavi te.* Idem petit additis argumentis ad flectendum Deum appositis: *Illustra faciem tuam*, id est, ostende faciem tuam, sive, respice in me. Haec enim omnia idem significant. Petit igitur primo reconciliationem cum Deo, si forte faciem averterit, et iratus sit, et addit pro argumento, se *servum* eius esse promptum ad eius obsequium. Addit postea *salvum me fac*, hoc enim sequitur post reconciliationem, ut salvum faciat, et liberet eum, cui reconciliatus sit. Et adiungit argumentum, dicens: *in misericordia tua*, id est, non ob merita mea, sed propter misericordiam tuam. Addit denique tertium argumentum, *non confundar quoniam invocavi te*: pertinet enim ad bonum et fidelem Dominum, qui promisit auxilium confidentibus in se, ut non confundat eum, qui tanta fiducia ipsum invocare non cessat.

21. *Erubescant impii et deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.* Prophetica imprecatio est, et continuo adimpleta; nam Achitophel, qui erat praecipuus consiliarius Absalonis, et consilium dederat perniciosissimum contra David, dissipante Deo consilium eius, confusus est, et non ferens confusionem suam, laqueo se suspendit, et sic ad infernum deductus est impius, et *muta* facta sunt *labia dolosa*, quae sic recte dicuntur, quia simulaverat longo tempore se fidelem Davidi, at oblata occasione perfidiam suam prodidit. lib. II. Reg. c. xvii.

22. *Quae loquuntur adversus iustum iniquitatem in superbia et in abusione.* Declaratur, labia illa dolosa Achitophelis merito obmutescere debere, quia loquebantur contra *iustum*, id est, contra Davidem, qui nullam iniuriam fecerat, neque ipsi Achitopheli,

neque Absaloni, et loquebantur *iniquitatem*, id est, consilium iniquitate plenum, et hoc *in superbia et abusione*, id est, cum maxima arrogantia et contemptu. Ita ex hebraeo et graeco, s. Augustinus et alii. Dicitur enim Achitophel locutus esse *in superbia et abusione*, quia superbe contemnebat Davidem, et sic abutebatur eius nomine.

23. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* 24. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Iam sanctus Propheta exauditum se sentiens, ac divina consolatione percepta, exclamat prae admiratione: *Quam magna multitudo, etc.* id est, quam magnae et multae deliciae, quas infundis intus in abscondito cordis timentium te, id est, eorum qui te colunt, et filiali timore venerantur, et quas *perfecisti*, id est, perfectas dedisti, vel exhibuisti *eis qui sperant in te*, qui videlicet renuunt consolari nisi in te! Et hoc totum fecisti *in conspectu filiorum hominum*, id est, palam, publice, et in oculis totius mundi, hocque maxime facies in die extremi iudicii. Nam licet subinde portiunculam aliquam consolationum coelestium in hac vita sanctis persecutionem patientibus concedat Deus, plenam tamen mensuram in illud tempus reservat. Ita s. Hieronymus. Addit s. Augustinus has delicias gustare non posse, qui palatum febre iniquitatum, et voluptatum carnalium infectum habet.

25. *Abscondes eos in abscondito faciei tuae; a conturbatione hominum.* 26. *Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.* Declarat modum, quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt; id enim fit, cum sancti per amorem et contemplationem rapiuntur in Deum, et in ipso Deo inveniunt locum refugii. *Abscondes eos,*

videlicet timentes te, *in abscondito faciei tuae*, id est, in loco abdito, quod est, in facie tua; nam qui raptus est ad contemplandam faciem Dei, et qui pulcritudinem eius considerans accenditur in eius amore, iam habitat in latibulo tutissimo *a conturbatione hominum*, id est, ab omni malo, quod homines conturbare solet. *Proteges eos in tabernaculo tuo*, id est, in teipso, in quo et tu habitas. Adeoque qui per contemplationem et amorem in Deo habitant, altissimum posuerunt refugium suum, et non accedet ad eos malum, ut alibi dicitur. *Protegentur autem in hoc tabernaculo non solum ab omni malo factorum, sed etiam verborum, a contradictione linguarum*, quia timentes Deum nihil curant sermones hominum.

27. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita*. Quae dixerat generatim de consolatione divina, quam viri iusti in tribulatione percipiunt, applicat ad se, et inde gratias agit Deo: *Benedictus sit Dominus, quoniam mirificavit*, id est, mirabilem misericordiam suam erga me ostendit, *in civitate munita*, id est, abscondens me in abscondito faciei suae, quod est veluti civitas munitissima, ut iam mihi nihil nocere possit.

28. *Ego autem dixi in excessu mentis meae; proiectus sum a facie oculorum tuorum*. Accusat ipse se diffidentiae, quam passus fuerat ab initio persecutionis. *Ego autem dixi in excessu mentis meae*, id est, eo tempore, quo prae nimio terrore quasi mentis inops factus eram, dixi apud me, *Proiectus sum a facie oculorum tuorum*, id est, non placet tibi, ut amplius regnem, vel ut diutius vivam, ideo abiecisti me a benigno aspectu tuo, et favore atque auxilio tuo solito me destituisti.

29. *Ideo exaudisti vocem orationis meae, dum clamarem ad te.* Sensus est clarus: Ideo, inquit, ne diffiderem de bonitate tua, cum me in tanta consternatione videres, continuo exaudisti vocem, etc.

30. *Diligite Dominum, omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.* 31. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Hortatur in fine pios homines, qui similia patiuntur, ut non cessent diligere Dominum, atque in eo sperare: quoniam etiamsi ad tempus videantur impii impune grassari; tamen brevi poenas acerbissimas dabunt. Illud *veritatem requiret Dominus* vertit s. Hieronymus *fideles servat Dominus*. Vox hebraea utrumque significat, teste Bellarmino, *veritatem et fidelitatem*, et etiam *fideles*. Sensus semper in idem recidit. Illud *abundanter* coniungi potest vel cum verbo *retribuet*, vel cum verbo *facientibus*, sed ex graeco apparet coniungendum esse cum verbo *facientibus*; et eodem modo s. Hieronymus vertit ex hebraeo: *Retribuet, inquit, his qui satis operantur superbiam*, et s. Augustinus *Retribuet his qui multum superbiunt*: eodem modo Theodoretus, et passim etiam alii veteres.

PSALMUS XXXI.

Synopsis

David admonitus peccati sui a Propheta Nathan, agnoscit se peccatorem, et veniam non suis viribus, sed Dei gratiae adscribendam.

Titulus est: Ipsi David intellectus, hebraice eruditio, seu quo singulariter erudiebatur intellectus et mens, agnoscens, primo se esse peccatorem, secundo veniam, gratiam, bona opera non suis viribus, sed Dei gratiae adscribenda. Ita S. Aug. Iure hic psalmus a S. Greg. et aliis inter septem poenitentiales numeratur, cum totus sit in peccato proprio desflendo, et in cohortandis hominibus ad poenitentiam.

1. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* David poenitentiae psalmum, orditur a laude indulgentiae et innocentiae; incipit ab indulgentia. *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Exclamat in felicitatem eorum, qui quidem peccaverunt, sed per gratiam Dei excitati convertuntur ad poenitentiam, et perveniunt ad indulgentiam. *Et quorum tecta sunt peccata*, idem repetit aliis verbis; nam peccata, cum remittuntur, absconduntur et teguntur, ita scilicet ut non amplius appareant oculis Dei, id est, non amplius insint animae, sed plene remissa sint. Quaecumque enim adhuc sunt in rerum natura, non possunt dici tecta oculis Dei. Idem ergo est esse sic tectum, quod esse remissum. Ita s. Augustinus et Theodoretus. Transit ab indulgentia quae est multorum, ad innocentiam quae est paucissimorum, ac dicit: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, id est, o vere beatus ac felix, qui nihil fecit, quod in

peccatum reputari potuerit, cui proinde Dominus, cuius rectissimum iudicium est, nihil ad peccatum imputavit. Ita Bellarminus. Alii cum Eusebio sic explicant: *Beatus vir, etc.*, a quo Deus non vult exigere rationem peccati, nec illud imputat, neque ad culpam, neque ad poenam, nempe quia totum remisit et delevit. Verum expositio prior de innocentia videtur melius continuari cum verbis sequentibus: *Nec est in spiritu eius dolus*, id est, qui neque verbo, neque cogitatione peccavit; spiritus enim ad utrumque spiritum referri potest, ad illum, quo sapimus, et dicitur cor, aut mens; et ad illum, quo loquimur, et dicitur spiritus oris, sive labiorum.

3. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Proposita beatitudine iustificatorum, deflet miseriam suam, quasi dicat: Illi quidem sunt beati, sed ego miser sum, *quoniam tacui*, et non continuo peccatum meum confessus sum. Novem enim mensibus (nempe quot intercesserunt inter adulterium, et partum uxoris Uriae) et forte diutius immersus haeserat David in peccatis suis priusquam ea agnosceret; ideo *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Id est, post agnitum peccatum tota die pro indulgentia clamare coepi, et tam diu, et tanto affectu clamavi, ut ossa mea quasi vetusta debilia facta sint, et fere consumptum fuerit omne robur meum.

4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.* Multa mala David propter peccatum contigerunt, ut II lib. Regum historia narrat: de his igitur divinis flagellis dicit: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*; dicitur enim gravare manus super aliquem, qui non leviter, sed graviter percutit. *Conversus sum in aerumna mea,*

dum configitur spina, id est propter huiusmodi flagella conversus sum ad cognitionem gravitatis peccati mei in aerumna mea, dum spina tribulationis configitur mihi, id est, tribulatio atque aerumna mentis oculos aperuerunt, quos carnis illecebra et voluptas clauserat. Ita Bellarminus. Per *spinam* intelligit s. Hieronymus stimulum conscientiae, ut sensus sit: *conversus sum in aerumna mea*, dum stimulus conscientiae pungit.

5. *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi*. Ex conversione ad cognoscendam peccati magnitudinem, de qua supra dixerat, factum est, ut peccatum suum non amplius taceret, neque occultaret, sed palam confiteretur coram Deo et hominibus. Porro illud cognitum tibi feci, non significat Deo fuisse ignotum, antequam Deo confiteretur; sed loquitur more humano.

6. *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei*. Videtur respicere tempus illud, quo Nathan propheta Dei nomine exprobravit illi peccatum suum: et ipse continuo compunctus dixit: *Peccavi Domino*; et Nathan subiunxit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Videns igitur tam subitam indulgentiam ait: *Dixi: confitebor*, id est, compunctus corde statui, continuo confiteri *adversum me iniustitiam meam*, meque reum, et peccatorem aperte fateri; et tu non expectasti vocem illam, qua dixi: *Peccavi Domino*, sed ex paterna et ineffabili benignitate *remisisti impietatem peccati mei*, adeo ut post contritionem cordis, ipsam confessionem miserendo, et parcendo praeveneris.

7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*. 8. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*. Exemplo suo

dicit propheta multos futuros, qui discant orare Deum pro indulgentia peccatorum, ut hoc modo liberentur a multis malis, quibus aliquando peccatores involventur. *Pro hac*, id est, pro hac re, sive *pro hoc*, ut habetur in hebr., sive propter, vel super hoc; et sensus est: hac de causa, id est, quia tu tam clementer ignoscis poenitentibus, *orabit ad te*, id est fiduciam te orandi sumet *omnis sanctus*, id est, omnis pius, vere poenitens, qui incipiens odisse impietatem, incipit induere sanctitatem. Orabit autem *in tempore opportuno*, id est, antequam tempus misericordiae finiatur. Orabit autem ad te *omnis sanctus in tempore opportuno*, ut *in diluvio aquarum multarum*, aquae illae *ad eum non appropinquent*, id est, ut in die novissimo, quando velut diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera poenarum, et perierit tempus opportunum orationis et poenitentiae, tunc ipsi salvi sint ab huiusmodi poenis. Hic sensus iuxta s. Hieronymum desumitur ex hebraeo. Itaque illud verumtamen pro copulativa particula accipiendum est.

9. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.* Accepta indulgentia quoad culpam, petit etiam indulgentiam quoad poenam, videlicet liberationem a tribulatione, in quam incidit propter peccatum. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me*, quasi dicat: Non habeo tutum refugium, nisi in misericordia tua, quoniam undique deficiunt amici, et undique cingor ab inimicis; ideo tu, qui solus es *exultatio mea*, id est, causa omnis meae laetitiae, *erue me ab hostibus circumdantibus me.* Videtur autem loqui de persecutione quam patiebatur ab Absalome filio et eius adhaerentibus.

10. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.* Respondet Dominus orationi servi sui, ac promittit auxilium quod petebat. Tria promittit: 1° Prudentiam interiorum, ut possit cavere insidias hostium: *intellectum tibi dabo*, id est, intelligentem et prudentem te faciam. 2° Auxilium externum singularis providentiae Dei: *instruam te in via hac qua gradieris*, sive ut in hebraeo habetur, *ostendam tibi viam per quam ambules*. 3° Perseverantiam in gratia: *firmabo*, inquit, *super te oculos meos*, sive non avertam oculos a te, sed perseveranter et stabiliter te aspiciam oculo benignitatis.

11. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Hortatur nunc demum Propheta fideles, ut ab exemplo suo discant mala, quae consequuntur peccatum et bona quae consequuntur poenitentiam et virtutem. *Nolite fieri, etc.* id est, nolite duci solis sensibus, cum ratione praediti sitis: nolite sicut equi et muli hinnire ad uxores proximi vestri, sicut ego feci; nolite tanquam indomiti ac feroces equi vel muli pauperes et humiles morsu et calcibus impetere, ut ego adversus Uriam feci.

12. *In camo et fraeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Praedicat mala, quae eos sequentur, qui equos et mulos imitari voluerint; cogentur enim tribulationibus vel ad Deum converti, vel certe impediuntur, ne noceant aliis, quantum vellent. Sed more prophetico hanc praedictionem exprimit David per modum imprecationis. *In camo*, inquit, *et fraeno, etc.*, id est, capistro et fraeno; quasi equos et mulos coërcebis, qui recusant, ut homines ratione praediti, sponte accedere ad te per obedientiam. Porro *camus* funem significat, sive capistrum, quo alligantur equi. Hic autem metapho-

rica vocabula sunt *camus* et *fraenum*, et ponuntur ad significandas calamitates et aerumnas, quibus Deus utitur ad coërcendos peccatores, id quod exponitur sequenti versu.

13. *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Haec est declaratio cami et fraeni, q. d. Peccator impenitens, et qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac, tum in futura vita. Contra iustus qui sperat in Domino, ab ipsa misericordia divina undique circumdabitur, ut a nulla parte flagellum ad eum accedere possit.

14. *Laetamini in Domino, et exultate, iusti: et gloriamini omnes recti corde.* Sicut in principio beatos dixit iustos, ita nunc in fine hortatur eos ad laetitiam. *Laetamini in Domino et exultate, iusti*, id est, magnam habetis materiam gaudendi et exultandi, sed *in Domino*, qui vobis est causa tantorum bonorum, quibus affluitis: *et gloriamini omnes recti corde*: idem aliis verbis repetit, nam gloriari saepius in Scripturis accipitur pro laetari et exultare. Per *rectos corde* intelliguntur iusti; nam ex rectitudine cordis oritur rectitudo verborum et operum, illi autem sunt iusti, quorum corda, voces et opera conformia sunt rectissimae regulae, quae est lex divina.

PSALMUS XXXII.

Synopsis

Excitat omnes, potissimum Iustos (quia non est speciosa laus in ore peccatoris) ad laudandum Deum, ob varia eius in nos beneficia.

1. *Exultate, iusti, in Domino: rectos decet collaudatio.* Exultatio, quae hic ponitur significat laudem cum laetitia. S. Hieronymus vertit: *Laudate, iusti, Dominum*; reddit rationem cum addit: *rectos decet collaudatio*; q. d. Vos iustos potissimum invito ad laudandum Deum, quia vobis potissimum convenit laudare Deum. Per *rectos* intelligit iustos, ut in fine psalmi praecedentis dictum est.

2. *Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.* Hortatur rursus iustos, ut confiteantur Domino confessionem laudis, non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, quae erant tunc in usu. Mystice autem significatur, ut laudemus Deum non solum verbis, sed etiam operibus, ac praesertim perfecta observatione Decalogi, significati per psalterium decem chordarum.

3. *Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.* Iubet, ut exultantes laudent Deum cantico aliquo non usitato et veteri, sed recens composito ob nova semper in nos beneficia. *Bene psallite ei in vociferatione*: per hoc monet, ut omnia bene et accurate fiant, et non frigide ac summissa voce, sed magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. Illud *in vociferatione* vertit Hieronymus *in iubilo*, et Augustinus legit *in iubilatione*.

4. *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera eius in fide.* Incipit explicare rationes, cur Deus sit tanto affectu laudandus, quae sumuntur a

bonitate, potentia et sapientia eius. De bonitate dicit: *rectum est verbum Domini etc.*, quia verba et facta Domini iustissima, fidelissima et sanctissima sunt. *Verbum Domini* est mandatum, prohibitio, promissio, comminatio, et haec omnia rectissima et fidelissima sunt. Opera vero Domini verbis conformia sunt, ideo dicuntur esse *in fide*, id est, fidelia, iusta et sancta.

5. *Diligit misericordiam et iudicium: misericordia Domini plena est terra.* Sanctitas verborum et operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis; Deus enim *diligit misericordiam et iudicium*, id est, amat primum largiri dona gratiae suae, et postea secundum opera uniuscuiusque reddere praemia vel supplicia, atque ita omnes viae Domini *miseriordia et veritas*. In secunda parte docet, misericordiam latius patere quam iustitiam, et esse, ut alibi dicitur, *super omnia opera eius*.

6. *Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Transit a laude bonitatis ad laudem potentiae, cuius primarius et maxime conspicuus effectus est fabrica coeli. Auget autem potentiam Dei, quod tantam molem solo verbo fecit, et eis aeternam stabilitatem attribuit. Quod sequitur: *et spiritu oris eius omnis virtus eorum*, posset videri repetitio quaedam, nam *verbum et spiritus oris* idem fere sunt et firmitas coelorum, et *virtus coelorum* pro eodem accipi possunt. S. Hieronymus autem per virtutem coelorum intelligit *ornatum coelorum*, id est, stellas, et chaldaeus habet *exercitus coelorum*, qui sunt angeli, ut sensus sit: Stellae et angeli, *spiritu oris eius*, sive solo imperio Dei firmati, seu creati sunt. S. Basilius et Theodoretus illud *spiritu oris eius* de Spiritu s. accipiunt.

7. *Congregans sicut in utre aquas maris: ponens*

in thesauris abyssos. Pergit explicare potentiam Dei, qua congregat aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, id est, facillime, nulloque negotio. Idem repetitur sequentibus verbis, *ponens in thesauris abyssos*, id est, ponit Deus abyssos, multitudinem videlicet et profunditatem aquarum in angustis terrae cavernis, ac si reconderet pecunias in thesauris. Ita Theodoretus, Didymus et alii.

8. *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.* Ex iis, quae dicta sunt de potentia Dei, occasione accepta, hortatur David homines, ut tantum Dominum timeant. *Timeat*, inquit, *omnis terra Dominum* tantae potentiae, et mox explicat idipsum, dicens: *omnes inhabitantes orbem* (hoc est enim omnis terra) *commoveantur*, hoc est, contremiscant, ac formident ab eo Domino. Ita s. Hieronymus.

9. *Quoniam ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt.* Optima ratio, cur solus Deus timendus sit, quia videlicet, quidquid est extra Deum nihil nobis nocere potest, nisi Deus permiserit: et contra nihil extra Deum, quod nos ab eius ira defendere possit: omnia enim ab eius nutu dependent, a quo unico verbo et imperio habent, ut sint.

10. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum et reprobat consilia principum.* Venit propheta ad sapientiam, ut ostendat omni ex parte Deum laudandum esse. *Dominus dissipat consilia gentium*, id est, ita supereminet sapientia Dei, super omnem omnium hominum sapientiam, ut quidquid homines consultando deliberant, Deus in momento infatuare, dissolvere, irritum facere possit. Idem repetitur: *reprobat autem etc.*, id est, Deus reprobat tanquam stultas cogita-

tiones populorum omnium, imo etiam principum ipsorum.

11. *Consilium autem Domini in aeternum manet: cogitationes cordis eius in generatione et generationem.* Dominus quidem inscrutabili sapientia sua dissolvit humana quaevis consilia, ut finem sibi propositum non assequantur: contra tamen humana prudentia nihil omnino potest adversus consilium Dei: quidquid enim semel decrevit Deus, stabile in aeternum erit.

12. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in haereditatem sibi.* Ex iis quae dicta sunt de potentia, sapientia et bonitate Dei, colligit David beatum esse populum cuius Deus non est aliquod idolum inutile, sed ille tantus Dominus. *Beata gens* etc., id est, beati illi homines, qui pro Deo non agnoscunt, nisi unum illum Dominum. Et quia vere ac perfecte beati et felices non sumus, licet hunc Dominum pro Deo habeamus, nisi et ipse nos pro peculiari suo populo habeat, ideo subiungit: *Beatus populus, quem elegit in haereditatem sibi.* Id est, beati sunt illi homines, quos ille idem Dominus elegit in populum peculiarem, et quasi propriam possessionem et haereditatem.

13. *De coelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.* 14. *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.* Probat quod dixit beatam esse gentem, cuius Deus est Dominus ille, qui fecit coelum: probat autem ex eo, quod cum Dominus de coelo videat omnes homines: tamen oculo paterno peculiariter populum suum respicit, et illum adiuvat et salvat. Versus 14 est repetitio praecedentis.

15. *Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.* Declarat propheta Deum

non tantum vidisse, et videre omnes filios hominum, sed etiam omnia eorum opera, id est, quid possint operari, quid operentur, vel mente, vel corpore; itaque vidit, et videt distincte omnes cogitationes, desideria, dicta, facta, praeterita et futura et praesentia. Et probat Deum haec videre, quia ipse *finxit*, seu formavit *sigillatim corda eorum*, id est, creavit animas singulorum hominum, a quibus omnia hominum opera oriuntur: qui enim corda, fingere potuit, idem sine dubio scrutari corda et *omnia* inde provenientia *opera* intelligere potest.

16. *Non salvatur Rex per multam virtutem: et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.* Explicat quid ille viderit, qui omnia videt: videlicet hoc vidit; neminem propria sua virtute liberari posse a malis, quae nos circumstant, sed egere omnes misericordia et adiutorio Dei. Ponit autem exemplum in iis, qui videntur maxime de suis viribus gloriari posse, quibus tamen nec robur proprium, nec aliorum qui ipsis serviunt, sufficit.

17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.* Tria sunt, quae possunt hominem eripere ab instanti periculo: vires alienae, vires propriae, velocitas equi: illae, si resistendum sit, illa, si fugiendum. Docuerat psalmista, non sufficere priora duo, nunc addit, neque tertium sufficere, et habemus exemplum omnium in libris Regum, de Saule, de Goliatho, de Ioram filio Achab, etc. *Fallax equus ad salutem*, id est, fallitur qui confidit salutem suam velocitate equorum, quia velocitas illa multis modis impediri, vel praeveniri potest, ideoque fallax est. *In abundantia virtutis suae non salvabitur*, id est, equus in virtute sua, licet ea maxime abundet, quae virtus in

velocitate consistit, non salvabitur cum sessore suo, id est, neque se, neque sessorem suum a periculo liberabit. Porro, quae dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spiritali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est sine praeviente, comitante et subsequente gratia Dei.

18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum : et in eis , qui sperant super misericordia eius.* 19. *Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.* Concludit propheta ratiocinationem suam, quae, ut supra diximus, probat beatam esse gentem, cuius Deus est Dominus; nam videt quidem Deus omnes homines, et intelligit quam parum possint, nisi ipse adiuvet; sed tamen peculiariter in homines iustos dirigit oculos suos, ut eis de coelo auxilium praebeat, tum ut a mortis periculo liberentur, tum ut commode sustententur in vita. Per timentes et sperantes describuntur ii, qui vere iusti sunt, nam timor sine spe, timor servilis est, spes sine timore praesumptio est.

20. *Anima nostra sustinet Dominum : quoniam adiutor et protector noster est.* Hactenus propheta iustos Dei servos allocutus est, eosque ad exultandum in Domino, et laudandum Deum ob tanta beneficia exhortatus est: nunc introducit iustos respondentes se tot beneficiis confirmatos constantissime in timore ac amore Dei permansuros. *Anima nostra sustinet Dominum*, id est, quidquid acciderit, nos non separabit a caritate Dei, neque ad alium consolatorem respiciemus, sed expectabimus patienter consolationem de coelo, *quoniam adiutor, etc.* Reddunt iusti rationem, cur tam constanter Dominum expectare decreverint, quia videlicet sciunt, et experimento cognoverunt a Domino in bonis se adiuvari et a malis protegi.

21. *Quia in eo laetabitur cor nostrum, et in nomine sancto eius speravimus.* Dicunt praeterea iusti, se exultaturos in Domino, *in eo laetabitur cor nostrum*, id est, exultabimus in Domino, *et in nomine sancto eius speravimus*, id est, quia in nomine sancto eius speravimus. Nam quia speraverunt in Domino, adiuti ab eo, atque protecti sunt, et experimento proprio edocti, quam potens et bonus Dominus sit, exultant in eo et confitentur nomini eius.

22. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.* Concluditur psalmus per orationem in persona iustorum: *Fiat misericordia tua, Domine, super nos*, id est, non cesset, sed perseveret, imo addatur semper nova misericordia super nos, *quemadmodum speravimus in te*, id est, sicut de tua bonitate futurum speravimus.

PSALMUS XXXIII.

Synopsis

Psalmi titulus est: Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum et abiit. Hic titulus secundum S. Basil., S. Aug., S. Hieron. et Euthymium refertur ad illam historiam, quae habetur I Reg., c. xxi, ubi narratur Davidem fugisse ad Achis regem Philisthaeum, sed cum servi regis incitare coepissent dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam et fatuitatem s mulare coepisse, atque ea ratione mortem evasisse. Cur autem Achis d. ctus sit Abimelech, rationem reddit s. Basilus quia Abimelech erat nomen commune Regibus Philisthinorum, sicut Pharaon erat nomen commune Aegyptiorum. David ergo gratias agit Deo pro liberatione a periculo illo mor-

lis imminentis, et hac occasione hortatur omnes ad amandum Deum et sperandum in eo.

1. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Incipit magno affectu gratias agere Deo, q. d. Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hoc, sed pro eo *benedicam Dominum in omni tempore*, id est, quamdiu vixero, et id ipsum repetens, semper, inquit, laus eius in ore meo.

2. *In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti et laetentur.* Nec solum, inquit, ego benedicam Dominum, sed etiam alii benedicent: quicumque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum Regem, et simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me tali modo de mortis periculo liberavit. *In Domino laudabitur anima mea*, id est, ego laudabor ab omnibus, ad quos huius rei fama perveniet, sed laudabor in Domino ac per hoc laus praecipua referetur ad Dominum, qui singulari providentia sua mihi bonum consilium inspiravit, et iuvit ut felicem sortiretur effectum. Quod sequitur, *audiant, etc.*, significat ad eos proprie pertinere communicationem huius laetitiae, quibus similia pericula solent esse communia, quales sunt homines mites. *Audiant mansueti*, humiles, Deum timentes, mei similes, quod mihi accidit *et laetentur*, ac Deum benedicant.

3. *Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen eius in idipsum.* Convertit sermonem ad ipsos mansuetos, quos iusserat audire et laetari, atque illos hortatur, ut non solum singuli apud se Deum laudent, sed cum ipso coniuncti, pariterque uniti Dominum glorificent. Illud *in idipsum*, uti iam diximus, nihil significat aliud, quam pariter, una, coniunctim, etc.

4. *Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Explicat propheta causam, cur benedicere velit Dominum omni tempore: quia videlicet expertus sit eum liberatorem optimum et potentissimum. *Exquisivi Dominum*, id est, cum angustiis premerer, auxilium Domini quaesivi et solita sua benignitate et misericordia *exaudivit me*, et effectus exauditionis in eo se prodidit, quod liberaverit me ex omnibus tribulationibus meis.

5. *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Hic iam incipit exhortatio ad amorem et timorem Dei, et ad proiciendam in eum omnem sollicitudinem nostram. *Accedite ad eum*, id est, quotquot in tribulatione estis, accedite per fidem et orationem ad Deum, *et illuminamini*, id est, percipite lumen consolationis et laetitiae, reiecta tristitia obnubilante, lux enim laetitiam significat. *Et facies vestrae non confundentur*, id est, accedite securi, nolite timere repulsam, exaudiet et excipiet vos, neque patietur rubore confundi facies vestras. Dicitur enim confundi facies, quando, qui petit non impetrat, et ideo cum rubore discedit, ut habetur III. Reg. c. II.

6. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum.* Probat suo exemplo, secure accedendum ad Deum tempore tribulationis. Nam *iste pauper*, David videlicet, omni ope destitutus, *clamavit* cum fide et fiducia, etc., loquitur ergo de se in tertia persona.

7. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.* Probavit exemplo, nunc probat ratione, accedendum esse ad Deum cum omni fiducia. Ratio autem est, quia Angelus Domini, cui Deus ipse mandavit, ut custodiat homines iustos,

ut dicitur in psalmo xc, cum videt hominem in periculo, continuo adest, et more castrorum circumdat protectione sua hominem illum, ut nihil ei nocere possit. *Immittet Angelus Domini*, subintelligitur, *ipse se* (ut clare colligitur ex hebraeo) *in circuitu timentium* Dominum, etc. Hic notant s. Basil. et Didym. etiam unum Angelum ob fortitudinem comparari validissimis moenibus et vallibus, ob magnitudinem integro exercitui. Ex quo sequitur, quod maxima securitas et pax esse debeat in corde timentium Deum, qui tali custodia muniuntur.

8. *Gustate et videte; quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.* Quia dixerat: *Accedite ad eum*, et probaverat exemplo et ratione, esse accedendum ad Deum tempore tribulationis: nunc hortatur ad experiendum, ut etiam ipsi proprio experimento discant, rem ita se habere. *Gustate*, inquit, id est, experimentum sumite, facite periculum, incipite reipsa iactare in Deum omnem sollicitudinem vestram, *et videte*, id est, cognoscite, quoniam dulcis est Dominus omnibus adhaerentibus sibi. Et vere, quid suavius fingi potest, quam animum praeditum conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni? Vere *beatus vir qui sperat in eo*, id est, qui pacem habet ad Deum et certa spe recumbit in eo.

9. *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.* Iam hortatur ad continuum timorem Dei, sive ad perseverantiam in observatione mandatorum eius, quod est fundamentum fiduciae, per quam accedimus ad Deum, et gustamus beneficiorum eius suavitatem. *Quoniam non est inopia timentibus eum*, id est, nihil deficit timentibus eum: Deus enim etiam temporalia subministrat servis suis, neque eos destituit tempore

necessitatis, id quod innumera exempla in Scripturis et historiis probant.

10. *Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Idipsum explicat comparando impios cum timentibus Deum, q. d. Non solum non erit inopia timentibus Deum, sed contra erit inopia magna non timentibus Deum, etiamsi divites antea fuerint. *Inquirentes autem Dominum*, id est, qui non in divitiis, sed in Deo spem suam positam habent, quales sunt qui Deum timent, illi etiamsi pauperes sint, *non minuentur omni bono*, est phrasis hebraica et significat, non deerit illis ullum bonum, sunt enim coniuncti cum summo bono.

11. *Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Postquam propheta hortatus est homines ad timorem Domini, docet quae sit utilitas huius timoris, et in qua re timor ille sit positus: *venite*, inquit ad scholam Spiritus s., *audite me*, vel potius Spiritum Domini per linguam meam loquentem. *Timorem Domini docebo vos*, id est, docebo, quanta sit huius timoris utilitas et in quo consistat.

12. *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?* Explicat his verbis utilitatem et finem timoris Dei, quod videlicet pariat veram vitam et dies bonos, id est, vitam felicissimam, quam iusti praegustant in hoc saeculo et in alio perfecte possidebunt. Quaerit igitur, *quis est, qui vere ac serio vult vitam veram, qui vere diligit videre dies bonos*, dies felices ac beatos: is debet adhibere media ad hunc finem consequendum, quae mox docebo.

13. *Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum.* 14. *Diverte a malo et fac bonum: inquire pacem et persequere eam.* Docet modo, quibus modis timor Domini perducatur homines ad

vitam, ac dies bonos, scilicet per abstinentiam ab omni peccato verborum, operum et cordis. *Prohibe linguam tuam a malo*, id est, cave, ne Deum offendas peccato linguae, mentiendo, peierando, detrahendo, etc. *Et labia tua ne loquantur dolum*, id est, potissimum autem cave perniciose mendacia, quia sunt multo graviora caeteris, et ex iis multa alia mala oriuntur. *Diverte a malo et fac bonum*, a peccato linguae transit ad peccata operis, et primo monet, ut videntur peccata commissionis, cum ait *diverte a malo*, quale est homicidium, adulterium, etc., deinde addit *et fac bonum*, ut videntur etiam peccata omissionis, qualia sunt, cum parentes non honorantur, cum Deus tempore suo non colitur, cum omittuntur eleemosynae, ieiunia, etc. *Inquire pacem et persequere eam*; hic tandem adiungit, ut caveantur peccata cordis, irae, odia, invidentiae et caeterae pravae animi affectiones, ut vera pax et tranquillitas in omni negotio procuretur et teneatur.

15. *Oculi Domini super iustos; et aures eius in preces eorum*. Probat, quod dixerat, observantes mandata, et caventes peccata habere vitam beatam et dies bonos: Ratio autem est, quia Dominus perpetuo iustos respicit, ut custodiat a malis, ad quae ipsorum oculi non pertingunt, et semper exaudit preces eorum, si scilicet iusti cognoscunt mala imminetia et clamant ad Deum, inveniunt apertas et intentas aures eius.

16. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*. Ex comparatione impiorum auget propheta beneficium iustorum: nam sicut oculi Domini super iustos vigilant, ut eos custodiat; ita etiam vultus, seu oculus Domini vigilat super facientes mala, non ut eos custodiat, sed ut perdat de terra memoriam eorum, id

est, ut funditus et exterminentur et pereant, non ipsi solum, sed et filii, nepotes et posterii, omnes, donec eorum memoria penitus aboleatur. Hoc quidem non semper fieri videmus, sed psalmus cantat id quod ut plurimum fieri solet.

17. *Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.* Probat, quod dixit, *Oculi Domini super iustos, etc.*, exemplis patrum, quae in sanctorum historiis habentur, ut Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, etc.

18. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; et humiles spiritu salvabit.* Declarat modum propheta, quo Deus iustos de tribulatione liberat: *iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*, id est, iustos, qui ob angustias et persecutiones corde afflicto et tribulato sunt, Deus non deserit, sed prope adest, patientiam et consolationem subministrans, ut fortiter sustinere possint: neque hoc diu durabit, nam paulo post *humiles spiritu salvabit*, id est, illos ipsos humiliatos et afflicto corde et spiritu ob gravitatem tribulationis eruet de omni angustia.

19. *Multae tribulationes iustorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus.* Hoc pertinet ad postrema illa verba versus praecedentis: *humiles spiritu salvabit*. Est enim, ac si dixisset: *humiles spiritu salvabit*, et ita salvabit, ut etiamsi plurimae sint eorum tribulationes, tamen de omnibus omnino liberavit eos.

20. *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur.* Videntur haec ad resurrectionis gloriam pertinere; quamvis enim iustorum ossa et membra omnia dissipentur, et vel a feris devorentur, vel in mare proiciantur, vel ab igne consumantur, custodit tamen Dominus omnia illa in

sinu providentiae suae, et nihil omnino ex iis peribit, sed integra omnia et gloriosa in resurrectione restaurabuntur.

21. *Mors peccatorum pessima, et qui oderunt iustum delinquent.* Ne putarent impii, suos quoque cruciatus et miseras in morte finire, quod athei et alii immortalitatem animae non credentes, sibi falso persuadent, adiungit David: *Mors peccatorum pessima*, quia videlicet initium erit cruciatuum aeternorum, sicut mors sanctorum pretiosa est, quia requiem et gloriam inchoat sempiternam. *Et qui oderunt iustum*, id est, et ii omnes, qui iustum vexant, et odio habent, omnes videlicet iustorum persecutores qui existimant se victores esse, et multum lucrari, cum iustos deprimunt, spoliant, occidunt, *delinquent*, id est, aberrabunt a via verae felicitatis. Ita Bellarminus.

22. *Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes, qui sperant in eo.* Concluditur psalmus praedicendo iustis contrariam sortem ei, quae praedicta est impiis. *Redimet Dominus* ab omni servitute, atque adeo ab omni malo *animas servorum suorum*, cum eas de carcere corporis eduxerit: *Et non delinquent omnes qui sperant in eo*, id est, et non errabunt a scopo, non deficient in cursu, pervenient omnino ad bravium supernae felicitatis, *omnes*, qui non in suis viribus, sed in Deo confidunt.

PSALMUS XXXIV.

Synopsis

Videtur esse oratio Christi ad Patrem adversus persecutores suos et sui corporis, quod est Ecclesia. Fortasse etiam orat ipse David pro liberatione sua, et contra Saul Regem et alios hostes suos: sed quia Propheta erat et de Christo, ut plurimum loquebatur in psalmis, ideo S. August., Hieron. et plures alii censent sensum principalem ad Christum pertinere.

1. *Iudica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.* Propositio generalis est, qua petitur auxilium contra persecutores. *Iudica nocentes me*, seu, ut in hebraeo est, *iudicantes me*, id est, iusto iudicio condemna eos, qui me iniusto iudicio condemnarunt, quales fuerunt Annas, Caiphas, Pilatus, Herodes et multi alii principes, qui sanctos martyres, ut illi Christum, iniquissimo iudicio condemnarunt. Quod autem nos pro *iudicantes*, legimus *nocentes*, eundem sensum habet; qui enim iniuste iudicat, maxime nocet. *Expugna impugnantes me*, vel ut clarius in hebraeo et graeco, *pugna contra pugnautes mecum*, id est, suscipe causam meam et bellum meum, ut expugnante te inimicos meos, ego manus eorum effugiam et victoriam referam.

2. *Apprehende arma et scutum; et exurge in adiutorium mihi.* Declarat illud, *expugna impugnantes me*; et quia qui pugnat debet instructus esse armis, tum quibus repellat ictus adversarii, tum quibus adversarium feriat; ideo in hoc versu meminit armorum primi generis, in sequente vero posterioris.

3. *Effunde frameam, et conlude adversus eos qui persequuntur me; dic animae meae: Salus tua ego*

sum. Hic iam loquitur de armis ad laedendum aptis, et per *frameam* intelligit gladium, ut s. Hieron. vertit, et sensus est: Evagina gladium, et stringe illum contra persecutores meos. Illud *effunde*, facilem et promptam gladii evaginationem significat, dum quasi funditur e vagina. Illud autem *et concludere*, intelligitur de conclusione gladii, qui manu acriter stringi debet, ut firmiter teneatur et fortius feriat. Porro gladius Dei est ira ipsius, id est, iustitia vindicativa. *Dic animae meae: Salus tua ego sum*, non satis est, ad animi tranquillitatem, ut Deus pugnet pro nobis, sed necesse est, ut id nobis etiam innotescat, ideo petit Christus pro corpore suo, ut id reveletur, et loquente Spiritu s. ad cor fiducia oriatur.

4. *Confundantur et revereantur quaerentes animam meam*. Describit exitum impiorum, adversus quos Deus arma capit, ac primum dicit, *confundantur et revereantur*, id est, erubescant ob amisam victoriam, *qui meam vitam quaerunt*; id est, qui quaerunt me interficere: illa duo vocabula, *confundantur et revereantur*, hic idem significant.

5. *Avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala*. Non solum igitur confundantur et pudore afficiantur, sed etiam *avertantur retrorsum*, id est, recedant victi et confusi, *qui cogitant mihi mala*, id est, qui meditantur necem meam.

6. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti; et Angelus Domini coarctans eos*. Addit tertio, ut celeriter fugere cogantur et dispergantur per varia loca: pulvis enim a vento in varias partes magno impetu velociterque dispergitur. Fiant igitur sicut pulvis levissimus, qui ab omni vento facile rapitur, et non levis ventus, sed *Angelus Domini*; qui longe potentior et efficacior est omni vento, sit *coarctans* et impellens eos. Significatur fugae celeritas.

7. *Fiat via illorum tenebrae et lubricum; et Angelus Domini persequens eos.* Addit ultimo, ut non solum dispergantur et fugere cogantur, sed etiam sine ullo remedio in exitium praecipitentur. Fugientes enim iuvari solent scientia viarum, itinere tuto, etc.; imprecatur impiis propheta, ut fugere cogantur in tenebris, et per viam lubricam, et instante post eos, ac vehementer urgente Angelo Domini, ut necesse sit eos in praecipitium et exitium ruere. Haec omnia implentur hoc tempore in iudaeis aliisque persecutoribus Christi et ecclesiae, qui iusto Dei iudicio versantur in tenebris ignorantiae et in lubrico conscientiae: et persequente eos ira Dei, quotidie labuntur in maiora peccata, et ad sempiternam mortem summa velocitate festinant. Sed manifestius implebuntur in die iudicii: tunc enim impii confundentur, et pudefient confusione ineffabili, et avertentur retrorsum in praecipitium gehennae, absque ullo remedio divina potestate coacti, etc.

8. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.*
 9. *Veniat illi laqueus, quem ignorat: et captio, quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.* Locutus est propheta in persona Christi et iustorum de persecutoribus generatim: in sequentibus explicat tria genera persecutionum, quas pati solent iusti ab impiis; nam primo fraudibus et insidiis iustos vexant, deinde falsis testimoniis, demum non verbis tantum, sed etiam factis et aperta vi eos opprimunt. Dicit ergo de primo genere, *quoniam gratis absconderunt, etc.*, id est, quoniam quidem nulla iniuria a me lacesiti, mihi insidias struunt, ideo precor Deum, ut providentia sua faciat ut insidiae illae in perniciem ipsorum convertantur. *Supervacue exprobraverunt animam meam,*

id est, sine causa, sine ullo meo merito, probris me affecerunt tendentes mihi laqueos. Illud, *veniat illi laqueus, etc.*, ex hebraeo sic explicatur: *Veniat illi*; nimirum insidiatori, *calamitas quam ignorat*, id est, calamitas inopinata. Et declarat, quae sit ista calamitas, addens: *laqueus suus, quem abscondit mihi, capiat ipsum*, et sic incidat in ipsam calamitatem, quam mihi paraverat. Illud *in ipsum*, est hebraismus, pro eo quod nos latine dicimus, in ipsum eundem laqueum cadat. Caeterum, ut alias meminimus, huiusmodi imprecationes, non tam imprecationes, quam prophetiae sunt.

10. *Anima autem mea exultabit in Domino; et delectabitur super salutari suo.* 11. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* 12. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum et pauperem a diripientibus eum.* His versibus explicat Propheta laetitiam inenarrabilem, qua perfundetur iustus, cum se perfecte liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Sensus igitur est: Cum id acciderit, quod precatus sum, *Anima mea*, prae laetitia *exultabit in Domino*, videlicet laudans et magnificans eum, et simul *delectabitur super salutari suo*, seu super salute sua, quam se adeptam esse videbit: vel potius super ipsum Dominum. *Omnia ossa mea* gestient, ut ita loquar, prae voluptate, significatur perfecta quaedam laetitia quae totum hominem repleat, et si sensum et vocem haberent, exclamarent utique et dicerent: *Domine, quis similis tibi* benignitate, sapientia ac fortitudine? quippe qui tam potenter et misericorditer *eripis inopem de manu hostis* multo fortioris ipso: et *eripis egenum et pauperem a diripientibus eum*, sive ab iis, qui violenter eius bona et ipsam vitam rapere cupiebant.

13. *Surgentes testes iniqui, quae ignorabam, in-*

terrogabant me. 14. *Retribuiebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae.* Pergit nunc Propheta ad secundum genus persecutionum, quo impiis testimoniis falsis iustos persequuntur; et mire exaggerat malitiam horum testium. 1. Dicit, *surgentes*, ut significet eos non expectasse citationem, sed per se venisse. 2. Addit, *quae ignorabam*: ut ostendat accusari iustum ab iniquis testibus de eo, quod nec fecerat, nec cogitaverat. 3. Addit, *interrogabant me*, ut ostendat audaciam, ac impudentiam testium, qui non contenti falsum testimonium dixisse coram iudice, ipsum etiam virum iustum coram arguere, et interrogare audent. 4. Addit, *retribuiebant mihi mala pro bonis*, ut ostendat falsos illos testes nulla iniuria lacesitos, sed contra etiam beneficiis affectos, ex mera malitia ad calumniandum adductos. Addit denique, *retribuiebant sterilitatem animae meae*, ut ostendat per falsa testimonia impios illos non quaerere leve aliquod malum, sed maximum, quod est sterilitas animae, id est oblivio, sive talis desolatio, ut ipsum etiam nomen oblivioni tradatur. Ita Theodoretus, Euthymius et alii.

15. *Ego autem, cum mihi molesti essent, induer bar cilicio.* 16. *Humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.* Exponit Propheta, quid ipse egerit contra hos adversarios: *Cum adversarii mihi molesti essent*, non superbe illis insultavi, sed sacco indutus ieiunare coepi, ut oratio mea Deum facilius placaret. Saccus enim et ieiunium sunt alae orationis. Addit: *et oratio mea convertetur in sinu meo*, ut ostendat se fructum orationis non dubium expectare, ponitur enim *in sinu meo*, pro *in sinum meum*, ut habetur in hebraeo et graeco: q. d. Oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, sed si-

num meum coelesti consolatione implebit. Porro quamvis haec ad litteram non videantur convenire Christo, quem non legimus cilicio indutum ieiunasse et orasse, dum persecutiones pateretur; conveniunt tamen eidem Christo, prout est in membris suis: hoc est enim proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere: sed ad cor suum redire et Deum humiliter deprecari.

17. *Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens et contristatus sic humiliabar.* Sensus ex s. Hieronymo est iste: *Quasi proximum, etc.*, id est, ac si socius et amicus imo frater meus esset, sic me placide gessi erga inimicum meum, *quasi lugens etc.*, id est, non solum affectus eram erga persecutorem meum, ut erga proximum et fratrem, sed *humiliabar* et inclinabam me ad eum, ex compassione dolens et contristatus de malis eius.

18. *Et adversum me laetati sunt, et convenerunt, congregata sunt super me flagella; et ignoravi.* Transit iam ad tertium genus persecutionum, quo non contenti impii fraudibus et calumniis iustos vexasse, flagellis quoque eos aggrediuntur: *Et adversum me laetati sunt*, ego de malis eorum dolebam, ipsi de malis meis laetabantur: neque hac impietate contenti, *convenerunt* adversum me flagellis armati, ut me, si possent, interficerent, *et ignoravi*, scilicet cur me flagellarent, torquerent aut persequerentur: nempe nullius mihi conscius ausae ad id datae, vel *et ignoravi* eorum consilia, et ideo praecavere non potui.

19. *Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.* Pergit explicare malitiam

impiorum iustos persequentium : *Dissipati sunt*, id est, qui convenerant in unum, ut nocerent et flagellarent, dispersi sunt ab invicem, divina providentia dissipante eorum consilia: sed *non propterea compuncti sunt*, id est, non resipuerunt, non cesarunt, non quieverunt, ut est in hebraeo, sed potius tentaverunt me nimirum ad iracundiam provocare, quia subsannaverunt me subsannatione irrisoria, et frenduerunt contra me dentibus suis minas crudeles intentantes.

20. *Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.* Expositis persecutionibus, revertitur Propheta in persona iustorum omnium, qui persecutionem patiuntur, ad orandum Deum. Et quoniam videtur Deus non respicere, quid in terra fiat, quando iniustos non punit, ideo dicit: *Domine, quando respicies?* id est, quando te videre mala impiorum puniendo demonstrabis? *Restitue animam meam, etc.*, id est, eripe vitam meam de periculo in quo versatur, dum est in potestate malignorum, et restitue illam in pristinam securitatem: quod ipsum clarius repetit: *a leonibus unicam meam*, id est, erue animam meam, quae est mihi unica, a potestate inimicorum, qui crudelitate et ferocitate leones dici possunt.

21. *Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.* Promittit se non fore ingratum, si liberationem ab adversariis obtineat. *Confitebor tibi in Ecclesia magna*, id est, non abscondam beneficium tuum, sed publice coram omnibus praedicabo. Idem repetit aliis verbis, *in populo gravi laudabo te*, idem enim hic est, confiteri et laudare, idem quoque Ecclesia magna et populus gravis, ut colligitur ex hebraeo.

22. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur*

mihî inique: qui oderunt me gratis et annuunt oculis. Redit ad orationem quam inchoaverat, et petit liberari a persecutoribus, maxime hypocritis, qui simulant se amicos, cum nihil minus sint. *Non supergaudeant mihi*, id est, non gaudeant super me vel non laetentur de interitu meo, *qui adversantur mihi inique*, id est, qui me persequuntur fingentes amicitiam. Ita s. Hieronymus et haec ipsa maxima iniquitas, persequi hominem et decipere specie amicitiae. Hoc idem declaratur sequentibus verbis: *qui oderunt me, etc.*, id est, qui sine causa me oderunt, et tamen fingunt amicitiam annuendo oculis, salutantes, blande aspicientes, etc., quid est, inquit Augustinus annuere oculis? pronuntiantes vultu, quod in corde non gerunt.

23. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: et in iracundia terrae loquentes, dolos cogitabant.* Id est, illi simulati amici quidem mecum verbis exterioribus *pacifice loquebantur* quasi amici essent, sed interius prae iracundia cordis disrumpebantur, et *cogitabant dolos* quibus me perderent. Illa vox *terrae* explicatur ab interpretibus et accipitur pro corde terreno.

24. *Et dilataverunt super me os suum; dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.* Propheta in persona iustorum dicit, eosdem inimicos, qui aliquando blandiebantur, et annuebant oculis, postea cum in eas calamitates incidisset iustus, quas illi fraudulenter concinnaverant, dilatato ore coepisse aperte insultare et inter se gratulari, ac dicere: Videmus tandem, quod tantopere cupiebamus. Hoc in Christo, qui iustorum caput est, impletum legimus, aliquando enim *pacifice loquebantur* inimici, sed interim *dolos meditabantur*: cum autem illum cruci affixum viderunt, dilataverunt os suum insultantes

et dicentes: *Vah, qui destruis templum Dei, etc.* Caeterum *euge*, est vox laetantis, *vah*, insultantis: utraque est hic exultantis et exultatio inimicorum, quaedam insultatio est.

25. *Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me.* 26. *Exurge, Domine, et intende iudicio meo: Deus meus et Dominus meus, in causam meam.* 27. *Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine, Deus meus, et non supergaudeant mihi.* Redit Propheta ad orationem, id ipsum aliis et aliis verbis repetens. *Vidisti*, inquit, *Domine*, quanta sit oppressio servi tui, *ne sileas*, quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere sperantes in te, *ne discedas a me*, id est, ne deseras me in tribulatione positum, quomodo faciunt, qui procul abeunt. *Exurge*, et tanquam iudex iustus et potens *intende* diligenter animum ad iudicium meum, id est, ad litem, quam cum persecutoribus habeo, *intende*, inquam, *in causam meam*, et *iudica me secundum iustitiam tuam*, id est, si iustitia tua, quae rectissima est, iudicat me iniuste ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ut non amplius gaudeant super miseriis meis.

28. *Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animae nostrae; nec dicant: Devoravimus eum.* 29. *E-rubescant et reveantur simul, qui gratulantur malis meis.* 30. *Induuntur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.* Explicat id quod dixerat, *non supergaudeant mihi.* Dicit ergo: *Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animae nostrae.* Id est, non exultent in cordibus suis super vitam meam, quasi iam extinctam: illud enim, *non dicant, Euge, animae nostrae*, exponi debet non dicant *euge* super animam nostram, et explicatur in verbis sequentibus, *nec dicant: Devoravimus eum*, id est, non iactent, a se quasi a leonibus me devoratum:

sed contra amissa spe victoriae *erubescant et revereantur*, id est, verecundentur simul omnes, qui spe victoriae iam *gratulantur de malis meis*, mihi imminentibus, nec solum leviter erubescant, sed *induantur confusione et reverentia*, sive erubescencia, id est, toti cooperiantur confusione, *qui magna loquuntur super me*, id est, qui magnifice iactabant potentiam suam super me.

31. *Exultent et laetentur*, qui volunt iustitiam meam; et dicant semper: *Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius*. Quemadmodum precatus est Psaltes, ut iniqui confundantur, ita nunc precatur, ut iusti exultent et laetentur, qui bene sibi volunt et amant innocentiam suam, vel cupiunt iustitiam suam palam apparere. Excitat quoque ad laudem Dei omnes, qui cupiunt pacem suam, quae secutura erat ex liberatione a malis istis.

32. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam*. Claudit psalmum David, iterato promittens gratiarum actionem pro accepto beneficio. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam*, id est, exercebitur in praedicanda iustitia tua, et idipsum repetendo declarat: *tota die laudem tuam*, id est, lingua mea tota die meditabitur laudem tuam, sive exercebitur in praedicanda laude iustitiae tuae. Illud *tota die*, significat, frequenter et assidue, ita ut nunquam tanti beneficii subrepat oblivio. S. Augustinus hoc loco pie monet, eum semper laudare Deum, qui semper bene agit.

PSALMUS XXXV.

Synopsis

Malitiae impiorum opponitur bonitas et beneficentia Dei. Titulus Psalmi est: In finem, servo Domini David, hoc est, Psalmus inspiratus Davidi servo Domini, qui canendus est iugiter usque in finem.

1. *Dixit iniustus, ut delinquat, in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.* Describit Propheta duas primas radices peccati, quarum altera est in voluntate, quae decernit male agere: altera in intellectu qui non cogitat timorem Dei prohibentis peccatum. *Dixit iniustus, ut delinquat in semetipso*, id est, apud se, in corde suo decrevit iniustus delinquere, id est, corde suo in peccatum consensit. *Non est timor Dei ante oculos eius*, id est, ideo corde peccatum elegit, quia oculis mentis non cogitavit timorem Dei, omnia videntis.

2. *Quoniam dolose egit in conspectu eius; ut inveniatur iniquitas eius ad odium.* Demonstrat quod dixit, iniustum non habere timorem Domini. Nam *in conspectu ipsius Dei dolose egit cum ipso Deo*, et omnibus hominibus, adeo graviter, *ut iniquitas eius non inveniatur apud Deum ad veniam, sed ad odium*, quod certe nunquam fecisset, si Deum timuisset. Quis enim delinquere audeat in conspectu iudicis, si iudicem timeat?

3. *Verba oris eius iniquitas et dolus; noluit intelligere ut bene ageret.* Dixerat hominem impium dolose agere, nunc addit, etiam dolose loqui. *Verba oris eius iniquitas et dolus*, id est, quidquid loquitur, eo tendit, ut vel laedat aperte, vel decipiat. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Id est, neque potest excusare culpam suam praetextendo ignoran-

tiam, voluntarie enim ignoravit, et ut male ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

4. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viae non bonae: malitiam autem non odivit.* Ordine retrogrado descripsit primo opera iniusti, deinde verba iniqua, nunc tandem affectiones et cogitationes malas impii describit: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo*, id est, opera et verba iniqua non casu vel inadvertenter, aut indeliberate patrauit vel effudit; sed in secreto multo ante meditatus est. *Astitit omni viae non bonae*, id est, non placuit illi ullum consilium bonum; sed e contra elegit sequi omnia mala consilia, et ideo *malitiam non odivit*, sed amavit potius, non quia mala est, sed quia utilis visa est.

5. *Domine, in coelo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.* 6. *Iustitia tua sicut montes Dei; iudicia tua abyssus multa.* Transit Propheta ad alteram partem, atque ostendit magnam quidem esse aliquorum hominum malitiam, sed in Deo maiorem esse bonitatem, quae in misericordia et iustitia eius consistit; ac de misericordia dicit: *in coelo misericordia tua*, id est; tam magna est misericordia tua, ut a terra ad coelum pertingat et omnia repleat. Misericordiae adiungit veritatem seu fidelitatem, quae facit observari, quod misericorditer promittitur, *et veritas tua usque ad nubes*, sive usque ad coelum, id est, misericordia tua usque ad coelum pertingit cum sua comite veritate. Nec minor est in Deo iustitia, quae reddit unicuique secundum opera sua. Nam *iustitia tua*, inquit, *sicut montes Dei*, id est, magna est instar montium altissimorum, qui nubes aliquando superant. Adiungit iustitiae iudicia, quae sunt actus iustitiae, et dicit: *iudicia tua abyssus multa*, id est, profunda et inscrutabilia quomodo

profundissima vorago, quae abyssus dicitur, oculis penetrari non potest. His autem similitudinibus significatur, misericordiam et iustitiam Dei maiorem esse quam ut a nobis perfecte intelligi possint, sicut oculis corporeis non pertingimus ad ea quae superant nubes, vel quae sunt infra terram.

7. *Homines et iumenta salvabis, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Ostendit nunc Propheta, misericordiam Dei maximam esse, quoniam *salvat homines et iumenta*, id est, conservat, nutrit, replet corporalibus bonis, non solum *homines*, id est, eos qui ratione utuntur; sed etiam *iumenta*, id est, eos qui instar iumentorum solo sensu, et appetitu ducuntur, quorum malitia supra explicata fuit. Et vere infinita et stupenda est haec misericordia, et benignitas Dei; hinc subiicit, *quemadmodum multiplicasti, etc.* id est, o quomodo multiplicasti misericordiam tuam, Deus! ita ex hebraeo vertit s. Hieronymus.

8. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Id est, equidem iumenta (quorum nomine impios et carnales appellandos censuit) corporali salute contenta esse debent; quam etiam solum noverunt, et solam appetiverunt: at *fili hominum* (ita pios et spirituales vocat) quasi pulli sub alis gallinae, ita ipsi sub *alis tuis, Deus*, amantissime collecti et quiescentes, omnia bona a te uno *sperabunt*. Significatur praecipua quaedam misericordia, providentia, et singularis benevolentia Dei erga iustos homines.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae; et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Protectio sub alis Dei habetur in hoc mundo, ubi periculum est a morsibus milvorum et ferarum; at quod sequitur, in coelesti patria nobis dabitur. Explicat autem

Propheta bona illa ineffabilia per corporales similitudines. *Inebriabuntur*, id est, saturabuntur et toti hilarescent *ab ubertate*, id est, affluentia bonorum *domus tuae* coelestis. Hieron. et Chaldaeus vertunt *a pinguedine*, id est, ex deliciis, quae hic etiam per spem et praegustum quemdam percipiuntur (ut quibusdam Martyribus et aliis Sanctis contigit), sed in coelo per plenam fruitionem possidebuntur. Unde et *torrens* vocatur, inquit s. Augustinus ob copiam, impetum et perpetuitatem.

10. *Quoniam apud te est fons vitae: et in lumine tuo videbimus lumen.* Reddit rationem, cur ex visione Dei sit futura beatis tanta voluptatis inundatio; quia scilicet apud Deum *est fons vitae*, et omnium bonorum; utitur autem David nomine *fontis*, ut persistat in metaphora *torrentis*, q. d. torrente nos potabis, quia apud te est fons vitae, unde torrens ille descendit. Addit, *in lumine tuo videbimus lumen*, ut clarius explicet, quod per metaphoras adumbraverat. Nam *in lumine tuo videbimus lumen*, nihil aliud significat nisi in te ipso, qui lux et fons luminis es, videbimus te lumen inaccessible et indeficiens. Caeterum theologi recte ex hoc loco colligunt *lumen gloriae*, quod necessarium est ad videndum Deum. Nam Deus *lux est, sed inaccessibleis*, I. Timoth. vi, et ideo nisi mens elevetur, et confortetur quodam dono Dei, quod vocatur *lumen gloriae*, non potest obtutum figere in lucem illam increatam. Proinde etiam sensus dictorum verborum esse potest: *Videbimus* quidem *lumen*, quod est ipse Deus, sed *in lumine ipsius*, id est, adiuti lumine gloriae, quod ipse donat iis, quos ad sui visionem dignatur admittere.

11. *Praetende misericordiam tuam scientibus te; et iustitiam tuam his, qui recto sunt corde.* Id est,

extende, porrige hanc magnam misericordiam tuam, de qua dictum est *scientibus te*, id est, illis, qui te cognoscunt notitia familiaritatis et amicitiae, qui te invocant, qui audiunt te in praeceptis tuis, etc. Idem repetit propheta pro more suo; *et iustitiam tuam*, id est, extende, seu porrige hanc misericordiam, quae simul est corona iustitiae, *his qui recto sunt corde*, id est, iustis et piis de quo supra.

12. *Non veniet mihi pes superbiae; et manus peccatoris non moveat me.* Sollicitus iam de se propheta, ne a tanto bono forte excidat, precatur Deum: *Non veniat mihi pes superbiae*, id est, non contingat mihi, ut incipiam habere pedem superbiae, id est, affectum superbiae, *et manus peccatoris non moveat me*, id est, et operatio peccatoris non inducat me in consensum peccati, et sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum deiiciar de statu meo, et cadam. Ita s. Augustinus.

13. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Reddit rationem, cur tantopere sibi timeat a superbia. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, id est, *in superbia initium sumpsit omnis perditio*, ut ait Tob. c. iv, nam et primus Angelus cum sociis, et primus homo cum uxore sua ob superbiam ceciderunt, et *expulsi sunt* e loco felicitatis, *nec potuerunt stare* in loco illo felicitatis, in quo illos Deus posuerat, ut ad maiora proveheret, si in bono perseverarent. Ita Bellarminus.

PSALMUS XXXVI.

Synopsis

Solatur pios, ne scandalizentur et offendantur prosperitate impiorum, utpote brevi peritura: cum pii solida et stabili beatitudine sint donandi. Titulus nihil habet novi.

1. *Noli aemulari in malignantibus; neque zelaveris facientes iniquitatem.* 2. *Quoniam tanquam foenum velociter arescent; et quemadmodum olera herbarum cito decident.* Admonet propheta fideles, ut si videant impios prospere agere, non provocentur ad eos imitandos, neque indignentur adversus Deum, quasi iniustum: quoniam prosperitas impiorum non diu durabit, imo velocissime peribit, et tunc apparebit iustitia et providentia Dei, quae impios non sinit diu exultare. *Noli aemulari in malignantibus*, id est, noli provocari ad aemulationem, sive noli fieri aemulus malignorum, *neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est, neque indigneris succensus zelo super operantibus iniquitatem, iniustum videlicet iudicans, ut Deus tantis bonis afficiat impios. *Quoniam tanquam foenum velociter arescent, etc.* Est aptissima similitudo ad ostendendam brevitate temporalis prosperitatis; foenum enim, et olera non habent profundas radices, ut cedri et palmae, quibus iusti comparari solent. Porro quamvis impii nonnunquam multis annis sua prosperitate fruantur, tamen multitudo annorum illorum omnino nihil est, si ad diuturnitatem iustorum felicitatis comparetur.

3. *Spera in Domino et fac bonitatem: et inhabita terram; et pasceres in divitiis eius.* 4. *Delectare in Domino; et dabit tibi petitiones cordis tui.* Absteruit nos David a malo, iam incitat ad bonum, q. d.

Si vis beatus et felix esse, intellige, quis sit auctor omnis felicitatis, et ab eo expecta, ab illo spera, *spera*, inquit, *a Domino*, ipse enim est Dominus rerum omnium; sed ut spes tua firma sit, et non confundaris, *fac bonitatem* bene operando iuxta Dei mandata; et tum securus *inhabita terram*; quis enim te expellet, si amicus eius fueris, cuius est terra et plenitudo eius? quin etiam *pascaris in divitiis eius*, terra enim ad te alendum abunde profert fructus suos. *Delectare in Domino*, id est, ama Deum ex corde, et ille sit deliciae tuae, et tunc securus eris, quia *dabit tibi petitiones cordis tui*, id est, quidquid cor tuum desiderabit.

Hic obiici potest: Multi fuerunt, qui sperabant in Domino, et faciebant bonitatem et delectabantur in Domino, et tamen non sinebantur quiete habitare in terra, nec pascebantur in divitiis eius, nec dabat illis Deus petitiones cordis eorum. Nam praeterquam quod videamus innumeros prope fideles, qui in summa egestate vitam degunt, scimus etiam multos sanctos fuisse, qui sperabant et delectabantur in Domino, et tamen esuriebant et sitiiebant, et nudi erant, nec Deus eis semper dabat petitiones cordis sui. Resp. maximam partem illorum, qui in summa egestate degunt, non sperare in Domino, sicut oportet, nec observare mandata eius, ut ipse iubet, multo minus delectari in Domino. Dubium enim non est, Deum iuxta tot promissiones a se in veteri et novo testamento factas provisurum suis omnia necessaria, si serio illi confidant in Deo, et mandata eius observent. Quod si aliquando id non fiat, ut dictum est de sanctis, ratio est, quia Deus dat illis aliquid melius, et quo illi magis contenti sunt, id est, meritum ingens patientiae, ut constat ex II. Cor. vii. Et si non dedit eis subinde Deus petitiones

cordis sui, non dedit rem parvam, ut daret rem magnam, quam sciebat esse veram petitionem cordis eorum, ut iterum patet II. Corinth. XII.

5. *Revela Domino viam tuam, et spera in eo; et ipse faciet.* 6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tanquam meridiem; subditus esto Domino et ora eum.* Praescribit iam etiam remedium contra persecutiones et calumnias. *Revela Domino viam tuam et spera in eo*, id est, ardenti prece, et segura fiducia expone, et committe Deo causam tuam, *et ipse faciet*, nimirum iudicium et iustitiam: ipse inveniet rationem, qua manifesta fiat innocentia tua: id quod clarius habetur illis verbis: *Et educet quasi lumen iustitiam tuam*, id est, Deus admirabili sua providentia faciet, ut iustitia tua, vel ius tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum, emergat et clarissime conspiciatur. Idem repetit illis verbis: *et iudicium tuum, etc.*, *subditus esto Domino, et ora eum*, id est, exhibe tantummodo puram et simplicem obedientiam Deo, et cum illo per orationem frequenter versare et colloquere.

7. *Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua; in homine faciente iniustitias.* Id est, noli fieri aemulus et quasi rivalis hominis, qui prosperatur in via sua, id est, in actionibus suis, hominis, inquam, iniusti et iniqui, qui male faciendo prosperatur.

8. *Desine ab ira et derelinque furorem: noli aemulari ut maligneris.* 9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum, ipsi haereditabunt terram.* Est quasi repetitio primae sententiae: in hoc psalmo enim eadem saepe repetuntur et declarantur. *Desine ab ira et derelinque furorem*, id est, cum videris impium in terra florescere, non irascaris, neque incipias furere ac dicere:

quare iste iniquus prosperatur? ubi est iustitia Dei? ubi providentia illius? etc. *Noli aemulari ut maligneris*, id est, noli aemulando malignos fieri socius malignantium; noli imitari opera iniusta eorum, quorum felicitati invides. Rationem addit: *Quoniam qui malignantur, etc.*, id est, qui malignantur, licet ad tempus florere videantur, non diu florebunt, sed *exterminabuntur* de terra, et in gehennam detrudentur: qui autem abstinent se ab iniquitate, et a Domino mercedem suam sperant, *ipsi haereditabunt terram*, id est, stabili possessione terram feliciorum obtinebunt, quasi propriam haereditatem, quae ab eis nunquam auferetur.

10. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator; et quaeres locum eius, et non invenies.* 11. *Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.* Quia dixerat *malignantes exterminabuntur*, addit hoc brevi futurum: *Et adhuc pusillum, et non erit peccator*, qui videbatur felix, non apparebit in terra, *et quaeres locum eius* inter homines, *et non invenies*, quia periit omnino, et quasi arbor infructuosa radicitus evulsus est. *Mansueti autem*, id est, illi qui non indignantur nec irascuntur Deo, cum vident impios prosperari, sed patienter ferunt et tolerant id quod Deo placet, *haereditabunt terram*, non solum hanc, ubi peregrinamur, sed etiam illam viventium, quae sola propria terra est, id est, firma et stabilis: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. v. Et quia terra illa dicitur Ierusalem, id est, visio pacis, cum omnes inimici longissime ab illa absint, ideo delectabuntur in multitudine pacis, id est, fruuntur multa pace, partim propter multitudinem terram illam incolentium, partim propter longitudinem temporis, seu potius propter tempus aeternum.

12. *Observabit peccator iustum; et stridebit super eum dentibus suis.* 13. *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies eius.* Monet propheta iustum, ut non multum formidet insidias iniquorum, quia Deus vigilat ad custodiam eius. *Observabit peccator iustum*, id est, attente respiciet omnes actiones iusti, ut inveniatur aditum ad eum perdendum. *Et stridebit super eum dentibus suis*, ac instar famelici canis desiderabit interitum eius. *Dominus autem*, in cuius manu sunt omnia, ita ut nec folium cadat in terram, nisi ipso iubente vel permittente, *irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies eius*, id est, quoniam videt instare diem interitus eius, et illum ante rapiendum, quam iusto nocere potuerit. Proinde irridendus est merito, qui dum alterius interitum procurat, imminentem interitum suum non videt.

14. *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum.* 15. *Ut deiiciant pauperem et inopem; ut trucident rectos corde.* 16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.* Declarat quod dixerat: *Observabit peccator iustum; etc.* Et sensus est: Stant peccatores armati strictis gladiis, et arcubus extensis (per gladios et arcus etiam intelligi possunt calumniae, falsa testimonia, etc., quibus peccatores saepe occidunt iustos, vel saltem conantur occidere) observantes, quando sit tempus occidendi iustum, ut videlicet tunc deiiciant arcu, et trucident gladio iustum, qui pauper et inops est, et rectus corde. Sed Deus facit, ut gladius convertatur in corda ipsorum, et arcus eorum conterantur, et ipsis solis noceant, et sic irridebit eos. Porro hic iustus pauper dicitur, et inops, vel quia omnes iusti sunt pauperes spiritu, licet divitiis abundant, vel quia David

solum loquitur de iustis pauperibus et abiectis, qui a potentibus opprimuntur.

17. *Melius est modicum iusto, super divitiis peccatorum multas.* 18. *Quoniam brachia peccatorum conterentur; confirmat autem iustos Dominus.* Ne iusti pauperes iniquis divitibus invideant, et dimissa iustitia ad perpetrândam iniquitatem accedant, munit eos David his versibus, *Melius est modicum iusto, etc.* Id est, plus prodest iusto modica substantia, quam peccatori ingentes divitiae: *Quoniam brachia peccatorum conterentur, etc.*; id est, potentia et fortitudo peccatoris facile deficiet, quia nititur brachio carnis, nec divitiae illum iuvare poterunt: iusti autem fortitudo et potentia non potest deficere, quia nititur brachio Dei, et Deus illum confirmat.

19. *Novit Dominus dies immaculatorum, et haereditas eorum in aeternum erit.* 20. *Non confundentur in tempore malo: et in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.* Confirmat quod dixit de felicitate iustorum, etiamsi modicas opes habeant. *Novit Dominus dies immaculatorum, etc.* Id est, approbat vitam iustorum, eique favet et benedicit, et ideo dies eorum diuturni erunt, et haereditas eorum cum ipsis conservabitur in aeternum. *Non confundentur in tempore malo*, id est, tempore sterilitatis et penuriae non confundentur, quia non cogentur erubescere mendicando panem, *et in diebus famis saturabuntur*, sed tum habebunt, unde comedant ad satietatem. Haec interdum implentur in hoc saeculo, semper autem implebuntur in futuro; dum dives in inferno guttam aquae desiderabit et non obtinebit: hinc additur, *quia peccatores peribunt*, qui iustos perturbare, eisque bona sua diripere solebant.

21. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Hoc respondet cum duobus superioribus versibus, ut sensus sit: Immaculati homines, tanquam amici Dei habebunt aeternam haereditatem, et in tempore malo non confundentur: *Inimici vero Domini*, quales sunt omnes peccatores, e contrario habebunt brevissimam felicitatem: statim enim atque exaltari coeperint, evanescent instar fumi, qui dum exaltatur, consumitur; neque vestigium ullum post se relinquit.

22. *Mutuabitur peccator et non solvet: iustus autem miseretur et tribuet.* 23. *Quia benedicentes ei haereditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.* Confirmat quod supra dixerat: *Melius est modicum iusto etc.* Nam saepissime accidit, ut peccator, quamvis ditissimus, mutuo accipiat pecuniam, et tamen non restituat; quia volunt divites peccatores supra censum laute vivere vel superbe vestiri, etc., inde semper laborant aere alieno gravati: iustus autem scit uti divitiis, etiamsi modicum habeat, tamen ex modico illo habet unde misereatur pauperum, et tribuat sine spe recuperandi. *Quia benedicentes ei*, scilicet Deo, ut s. August. exponit, *haereditabunt terram*, et sic semper habebunt, unde tribuant; *maledicentes autem ei*, tanquam blasphemi et ingrati, disperibunt, ut etiamsi vellent tribuere, non possint.

24. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam eius volet.* 25. *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Incipit hoc loco propheta singularem Dei providentiam erga iustos exponere, ut tanto magis eos confirmet, ne forte prosperitas impiorum eos alliciat ad peccandum. Dicit ergo viam iustorum a Domino dirigi et

custodiri. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, id est, ille diriget actiones et opera iusti, *et viam eius volet*, id est, hinc fiet, ut iustus viam Domini velit, diligat, libenter sequatur, vel Deus volet viam iusti, id est, approbabit actiones et opera iusti. Prior explicatio s. Augustini, posterior Euthymii est. *Cum ceciderit non collidetur*. Potest hoc referri ad miserias corporis, et etiam animae. Nam si iustus ceciderit in aliquam afflictionem vel tribulationem, *non collidetur*, id est, non omnino succumbet, aut opprimetur, *quia Dominus supponit manum suam*, sive sustentat auxilio et providentia sua. Etsi forte ceciderit in tentationem peccati, *non collidetur*, id est, non perveniet ad consensum culpae lethalis, nec amittet patientiam aut fidem, quia Dominus auxilio gratiae suae sustentat eum.

26. *Iunior fui, etenim senui: et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem.* 27. *Tota die miseretur et commodat; et semen illius in benedictione erit.* Probat ab experientia sua, quod supra dixerat: iustos in die malo non confundendos, et in diebus famis saturandos. *Iunior fui, etenim senui*, vel ut expressius habetur in hebraeo, puer fui, et postea senui, et in tam longo tempore nunquam *vidi iustum derelictum* a Deo, ita ut gravi inopia premeretur, nec *vidi semen eius*, id est, filios eius *quaerentes*, et mendicantes *panem*: sed contra potius vidi, quod iustus *tota die miseretur et commodat*, id est, omni tempore ita abundat, ut vel ex misericordia donet, vel certe mutuo, aut commutato det proximis de facultatibus suis. Quare *semen illius*, id est, filii eius non solum non mendicabunt panem, sed *in benedictione erunt*, id est, benedicti a Deo copiis abundabunt. Caeterum haec sententia nequaquam repugnat veritati, etiamsi videamus in-

numeros fideles in Ecclesia mendicantes panem: nam mendicantes religiosi sponte mendicant amore paupertatis, neque derelicti dici possunt, cum Deus eos mirabili plane providentia alat et sustentet. Caeteri mendicantes, ut plurimum non sunt filii eorum, qui consueverunt misereri aliorum et donare; ad hos enim proprie haec promissio pertinet. Saepe etiam neque iusti sunt ipsi, neque filii iustorum, denique, ut supra diximus, si qui vere iusti et sperantes in Domino derelicti videntur, et quaerentes micam panis, ut ille Lazarus, tunc pro pane corporali dat panem spiritualem, nempe copiam solationum, meritum patientiae, etc.

28. *Declina a malo et fac bonum: et inhabita in saeculum saeculi.* 29. *Quia Dominus amat iudicium, et non derelinquet sanctos suos; in aeternum conservabuntur.* Occasione horum, quae dixerat, monet: *Declina a malo et fac bonum*, quae sunt duo prima praecepta iustitiae, *et habita in saeculum saeculi*, id est, vide ergo, ut iustus sis, et semper securus inhabitabis terram. Dat rationem: *Quia Dominus amat iudicium*, id est, iustissimus est, et iuste iudicat, et ideo non derelinquet sanctos suos, id est, iustos servos suos; ideo affirmo quod in aeternum conservabuntur. Haec promissio pertinet quidem aliquo modo ad hanc vitam, sed absolute et proprie, ad vitam futuram, quae in terra viventium sempiterna erit.

30. *Iniusti punientur, et semen impiorum peribit.* 31. *Iusti autem haereditabunt terram: et inhabita- bunt in saeculum saeculi super eam.* Sensus horum versuum ex supra explicatis clarus est, et ulteriore expositione non eget.

32. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.* 33. *Lex Dei eius in corde*

ipsius; et non supplantabuntur gressus eius. Dixit paulo ante divinam providentiam vigilaturam, ne iusti ab impiis opprimantur; nunc addit, iustos quoque per sapientiam suam, quae etiam Dei donum est, effecturos, ut non supplantentur a malitia impiorum. *Os iusti meditabitur sapientiam*, id est, iustus sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone, *et lingua eius loquetur iudicium*, id est, lingua iusti non temere profundet verba, sed loquetur quod iustum est. Rationem dat, quia *lex Dei eius in corde ipsius*, id est, sermo iusti sale sapientiae conditus erit, quia iustus habet in corde legem Dei, et propterea, dum loquitur, cogitat mandata Dei, ut non delinquat in lingua sua. Ex his colligit propheta, *et non supplantabuntur gressus eius*, vel pedes eius, ac per hoc non impelletur iustus ad casum dolo alicuius iniqui circumventus. *Supplantare* dicitur, qui plantam alterius tenendo, vel impediendo cadere illum cogit.

34. *Considera peccator iustum: et quaerit mortificare eum.* Id est, impius observat diligenter quid loquatur et quid agat iustus, ut supplantet eum, et quaerit supplantando occidere; quod quidem praecipue fieri solet in iudiciis, cum iudex, vel accusator iniquus innocentem aliquem circumvenire et perdere cupiunt.

35. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.* Id est: Dominus non permittet, ut peccator iustum habeat in potestate sua, nec iudex damnabit iustum, cum iudicabitur illi, id est, cum tempus iudicii advenerit.

36. *Expecta Dominum, et custodi viam eius; et exaltabit te, ut haereditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.* Id est, spera in Deo (sic

nortatur propheta iustum) si forte differri videtur promissio eius, et non declines a via iam inchoata sanctitatis et iustitiae, *et exaltabit te*, ut cum implebitur promissio eius possideas, quasi propria haereditate terram viventium. *Cum perierint peccatores, videbis*, id est, cum peccatores iudicio divino condemnati perierint, tunc videbis quod non speras.

37. *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani.* 38. *Et transivi, et ecce non erat; et quaesivi eum, et non est inventus locus eius.* Repetit impios brevi perituros, et ait: Vidi impium positum in altissimo gradu dignitatis et potestatis, radicatum et fundatum opibus, etc.: vix pertransii, *et ecce non erat; quaesivi* ubi fuisset, et an vestigia remanerent tantae magnitudinis, *et non est inventus locus eius*, quasi nunquam ibi fuisset.

39. *Custodi innocentiam et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.* 40. *Iniusti autem disperibunt simul: reliquiae impiorum interibunt.* Id est, conserva innocentiam erga te ipsum, *et vide aequitatem*, sive iudica quod rectum est erga proximum, quia dabit Deus in praemium homini pacifico, ut relinquat post se filios; vel altiore sensu, quia multa bona reliqua sunt homini pacifico post mortem. *Iniusti* e contrario peribunt ipsi simul omnes, et *reliquiae* peribunt cum eis, quia nec filios in hoc saeculo relinquunt, nec boni aliquid eis reliquum erit in altero saeculo. Ita s. Hieronymus, Augustinus, Hesychius et alii.

41. *Salus autem iustorum a Domino; et protector eorum in tempore tribulationis.* 42. *Et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus et salvabit eos: quia speraverunt in eo.* Haec est quasi recapitulatio totius psalmi, et satis aperta et perspicua.

PSALMUS XXXVII.

Synopsis

Hic psalmus unus ex poenitentialibus, est oratio Davidis poenitentis, similis illi, quae habetur in psalmo VI, qui idem omnino principium habet. Titulus est: Psalmus David in rememorationem de Sabbato, id est, compositus est hic psalmus a Davide poenitente in rememorationem quietis amissae in statu innocentiae, vel promissae in resurrectione iustorum. Ita S. Augustinus et S. Gregorius.

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Precatur David poenitens, ut Deus eum non puniat in ira et furore suo, ut iudex cum reis facit; sed in misericordia, ut medicus cum aegrotis se gerit. Videri possunt quae ad initium psalmi VI dicta sunt.

2. *Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* Deslet infelicitatem, quae peccatum lethale sequitur. Ait igitur: *Non arguas me in ira tua*, quoniam ea gravissima est, ut iam experientia didici. *Siquidem sagittae tuae infixae sunt mihi*, id est, multae tribulationes, te puniente peccatum meum, acciderunt mihi, *et confirmasti super me manum tuam*, id est, ideo sagittae tuae infixae sunt mihi, et non leviter tantum tetigerunt, quia tu manum tuam aggravasti super me, ut sagittae profundius penetrarent.

3. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Id est, ira tua, quae mihi semper ante oculos versatur, carnem meam moerere et tabescere facit: dolor enim animi carnem quoque affligit, pallere et

languere facit. Et aspectus deformitatis et gravitatis peccati mei ita me conturbat, ut nulla mihi sit requies, et ipsa etiam ossa contremiscant.

4. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum; et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Dicit rationem cur tantopere conturbetur, dum respicit peccata sua esse, quia ea sunt multa et magna. De multitudine dicit, *quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum*, id est, in tantum cumulum creverunt, ut me quasi obruant. De magnitudine ait: *Et sicut onus grave gravatae sunt super me*, id est, peccata mea quasi pondus importabile gravant humeros animae meae, quia super vires meas est, pro tam gravi debito satisfacere. Peccatum Davidis fuit adulterium cum homicidio coniunctum, sed verus poenitens multas valde deformitates in eo considerat. Et causa, cur pauci sensum doloris, quem par esset, ex peccatis suis percipiant, est, quia peccati magnitudinem pauci in statera seriae considerationis appendunt, ut David fecit.

5. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.* Haec pertinent ad tempus illud, quod intercessit inter peccatum adulterii et admonitionem Nathan prophetae, quod fuit plusquam novem mensium. Toto igitur illo tempore distulit David curare vulnera peccati sui per poenitentiam. Interim obducta erat quaedam quasi cicatrix oblivionis, quae non sinebat vulnus agnosci, sed revera cicatrices illae putrescebant, et vulnera graviora magisque incurabilia fiebant, atque hoc est, quod nunc deplorat: *Cicatrices*, id est, ulcera et vulnera, quibus dudum cicatrices obductae esse deberent, iam ob vetustatem et neglectum *putruerunt et corruptae sunt*, id est, tabe et sanie diffuunt.

a facie insipientiae meae, id est, propter meam stultitiam, quia et peccavi, et tam sero distuli poenitere.

6. *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Ex corruptione illa factum est, ut David miser et curvus fieret; et sensus est: *Miser factus sum*, miseria culpae et poenae, *et curvatus* valde (nam illud *usque in finem* habetur in hebraeo; *nimis* vel *valde*), tum quia faciem animae, quam defixam in Deo habere debui, converti ad carnales et infimas voluptates; tum quia prae pudore coelum aspicere non possum, et humilis atque abiectus terram aspicere cogor: et propter haec omnia *tota die contristatus ingrediebar*, id est, semper conscientia mordente et accusante, tristis ac moerens incedebam: quae enim laetitia esse potest homini misero, si miseriam suam agnoscat?

7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.* 8. *Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.* Ss. pp. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius, referunt hos versus ad carnalem concupiscentiam: ut similis sit haec Davidis querimonia illi quae legitur apud apostolum, Rom. vii, adeoque sensus ex Bellarmino est hic: *Quoniam lumbi mei*, id est, pars illa bestialis, et concupiscens, disrupto fraeno iustitiae originalis, parit perpetuo desideria ignominiosa et turpia, et ideo repletur *illusionibus* spirituum malignorum; *et non est sanitas in carne mea*, quia non habitat in ea bonum, sed malum variarum passionum, quae illam infirmam reddunt; ideo *afflictus sum et humiliatus nimis*, quia pudet me hominem ratione praeditum eiusmodi bestialibus motibus non posse carere; et ideo *rugiebam* prae

dolore, a gemitu interiore cordis mei provocatus ad rugitum et clamorem exteriorum.

9. *Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.* Quia dixerat gemitum cordis sui excitare rugitum, declarat ad quem gemat corde. *Domine, inquit, ante te omne desiderium meum*, id est, tu Domine, solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberer a concupiscentia mala, et de hac re *gemitus meus interior tibi non est absconditus.* Simile quid apostolus dicit, Rom. viii.

10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Pergit describere corruptionem naturae humanae. *Cor meum conturbatum est*, quod significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris a superiore. *Dereliquit me virtus mea*, quia nata est ex illa rebellione tanta infirmitas, ut homo velit, nolit, patiatur desideria mala, et dicat cum apostolo, *velle quidem adiacet mihi: perficere autem non invenio.* *Et lumen oculorum, etc.*, interiorum videlicet, et *ipsum non est mecum*, dum operor, licet in me sit: nam lumen intelligentiae et rationis est quidem semper in anima rationali, sed quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, saepe impediti carnalibus passionibus, illo non utimur.

11. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.* Descripsit bellum intestinum, quod intra hominem continuo geritur; describit etiam bella externa, persecutiones, etc., quae omnia peccatorum poenae sunt. Ac primum queritur, quod amici et proximi facti sint illi inimici.

12. *Et qui iuxta me erant, de longe steterunt; et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.* Dixit

amicos et proximos, ut Absalom et socios esse inimicos, et adversum se appropinquasse et stetisse, ut nocerent; nunc dicit alios qui iuxta eum esse solebant, ut milites, aut servos, longe recessisse, nec adesse voluisse tempore persecutionis, et interim inimicos vi magna conatos esse vitam illi adimere. Neque solum habuit David, qui quaerent animam, seu vitam eius, ut milites Absalom, sed etiam qui detraherent honori et famae eius, ut Semei et alios; ideo subiungit:

13. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; et dolos tota die meditabantur.* 14. *Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.* 15. *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Haec perspicua sunt, et videri possunt praecipue in cap. xvi, lib. II. Reg.

16. *Quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies me, Domine, Deus meus.* Reddit tres rationes cur ita obsurduerit et obmutuerit: Prima est haec, quia scilicet utilius sibi existimavit sperare in Domino quam in sua propria defensione; *tu enim, inquit, exaudies me*, et liberabis a labiis iniquis et a lingua dolosa, *Domine Deus meus*, a quo omnia audiri et cognosci scio, in quo semper speravi, qui es iudex iustus, et reddes unicuique secundum opera sua, etc.

17. *Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Haec est altera ratio, cur elegerit obsurdescere et obmutescere. *Quia dixi* apud me: *Nequando supergaudeant, etc.*, id est, bonum est mihi patientiam habere, ne forte si impatiens fuero, et reddam maledictum pro maledicto, Deus derelinquat me, et gaudeant inimici mei super me,

id est, super ruina mea laetentur. Et non sine causa metuo ne de exitio meo laetentur inimici, quia *dum commoventur* (in hebraeo habetur *commoverentur*) *pedes mei*, id est, dum inciperent nutare pedes mei, et ego inclinarem ad casum (quod factum est, quando fuit in periculo regni amittendi) inimici mei *magna locuti sunt super me*, comminantes mihi, et praedicentes extremum exitium. Porro particula *et* saepe in Scriptura ponitur pro *quia*, uti etiam hic fit: *et dum commoventur pro quia dum*, etc.

18. *Quoniam ego in flagella paratus sum; et dolor meus in conspectu meo semper.* Addit tertiam rationem, cur voluerit obsurdescere et obmutescere coram adversariis. *Quoniam*, inquit, *ego* propter peccata mea *paratus sum flagellari*, non solum flagellis verborum et detractionum, sed etiam flagellis verberum et plagarum. Nam *dolor* quem merui, semper ante oculos mentis meae versatur. Vel, quia *dolor meus*, id est, peccatum meum, quod mihi doloris continui causa est, nunquam ab oculis cordis mei recedit.

19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.* Dat rationem, cur in flagella paratus sit, et ait: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*, id est, quoniam agnosco et confiteor me peccasse et flagella commeruisse. *Et cogitabo pro peccato meo*, expiando videlicet. Significantius ex hebraeo vertit s. Hieronymus: *Et sollicitus ero pro peccato meo*, id est, diligenter cogitabo, quomodo possim Deo satisfacere, etc. Quod quidem salutare documentum est poenitentibus, ut solliciti sint de expiatione peccati, et libenter accipiant occasiones a Deo oblatas patientiam exercendi.

20. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt*

super me; et multiplicati sunt qui oderunt me inique. Haec ad eum finem commemorantur a Davide, ut Deum facilius ad misericordiam inclinent. *Inimici autem mei, etc.*, id est, ego quidem humiliatus sum et afflictus, et tamen patientiam servo, ac si surdus et mutus essem; interim autem *inimici mei vivunt*, id est, alacres sunt et exultant, *et confirmati sunt super me*, id est, robustiores et fortiores evaserunt, *et multiplicati sunt*, id est, creverunt etiam quoad numerum, *qui oderunt me inique*, sine ulla iusta causa.

21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam sequebar bonitatem.* q. d. Vere oderunt me inique inimici mei, nam illi *detrahebant mihi qui retribuunt mala pro bonis*: quales erant Absalom filius Davidis, Achitophel consiliarius, et alii, qui plurima bona a Davide acceperant. Imo, quod gravius est, *detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*, id est, quia sincero corde et bona voluntate cum omnibus agebam, et eo modo contrarius eram iniquis eorum desideriis et operibus.

22. *Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.* 23. *Intende in adiutorium meum, Domine, Deus salutis meae.* Concludit, Deumque precatur, ut protectione sua illi adsit, et quasi idem repetit, quod in principio psalmi dixit. Tunc enim Deus in ira, vel furore suo gravissime punit aliquem, cum illum gratia sua destituit, et tanquam ab inimico recedit, et inter hostes nudum adiutorio suo constituit.

Et hic quidem videtur esse huius psalmi sensus literalis; tamen quoniam Ss. Pp. Chrysost., Augustinus, Hieronymus et Gregorius, vel totum hunc psalmum, vel certe a medio usque ad finem de Christo exponunt; sciendum est, posse totum psalmum de Davide ex-

plicari, primum, ut Davidis personae proprie convenit; deinde ut David personam Christi gerebat. Spiritus enim sanctus plura simul intendere potest in verbis iisdem, nimirum narrare tribulationes Davidis, et simul praedicere passiones Christi, qui Davidis filius secundum carnem futurus erat.

PSALMUS XXXVIII.

Synopsis

Describitur hic brevitatis et vanitatis praesentis vitae, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo vita aeterna est esse ponendam; et ideo dandam esse operam patientiae, et paci cum omnibus hominibus, et praecipue linguam esse custodiendam ab omni rixa et iurgio et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernae vocationis.

Caeterum psalmo praemittitur hic titulus: In finem, ipsi Idithun canticum David, adeoque psalmus compositus est a Davide, sed datus ipsi Idithun ad canendum. Erat enim Idithun unus ex tribus principibus cantorum, ut habetur L. 1 Paral., c. xvi, et L. 11, c. v.

1. *Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.* Sollicitus erat David de vero bono non amittendo; ideo deliberavit, ac firmiter apud se statuit, magna circumspectione uti in omnibus actionibus suis, ut si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet. *Dixi* nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, *ut custodiam vias meas*, ut cautissime ambulem in via vitae huius. Et quia nihil est facilius, neque periculosius, quam verbo offendere, ideo singulariter addit: *ut non delinquam in lingua mea*, id est, ad hoc potissimum

custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, sic enim infinita mala effugiam.

2. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.* Nunquam est periculum maius delinquendi per linguam, quam cum ab aliquo detractore, vel contumeliam faciente provocamur; ideo dicit propheta: *Posui ori meo, etc.*, id est, cum aliquis iniquus forte irritaret me convitio, aut detractio, aut alio iniurioso verbo, tum maxime custodivi os meum, ne prorumperem in aliquod verbum, cuius me postea poeniteret.

3. *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis; et dolor meus renovatus est.* Id est, silui omnino, ac si mutus essem, et humiliter patientiam habui, *et silui a bonis*, id est, a bona et iusta mei defensione, vel adeo silui, ut ne bona quidem verba proloquerer. Unde factum, ut *dolor* internus animi diu compressus, ipsa taciturnitate recrudesceret. Ita Tirinus.

4. *Concaluit cor meum intra me; et in meditatione mea exardescet ignis.* Exponit quid ille dolor renovatus effecerit, ac dicit: *Concaluit, etc.* id est, ex dolore illo calefactum est cor meum dilectione, et inde meditari coepi de miseria humana, de misericordia Dei, de ingratitude hominum, de abundantia charitatis Dei etiam erga ingratos et malos, etc., *et in meditatione mea exardescet ignis* charitatis: diligens enim et attenta rerum coelestium meditatio ordinaria via est ad accendendum actualem ignem charitatis Dei. Ita s. Ambrosius.

5. *Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum.* 6. *Et numerum dierum meorum, quis est: ut sciam quid desit mihi.* Ex illo aestu interiore locutus sum, inquit, in lingua mea, id est, oravi in sensu meo, sermone mihi noto: No-

tum fac, etc., id est, fac, Domine, per gratiam tuam, ut illustrentur oculi mentis meae, et aperte cognoscam finem vitae meae non procul abesse. *Et numerum, etc.* id est, fac, ut attenta cogitatione penetrem, quam sit brevis numerus dierum meorum, et sciam quam parum temporis mihi adhuc supersit. Alii quidem aliter interpretantur, sed haec expositio valde concordat cum sequentibus versibus.

7. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos; et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Edoctus a Domino, quod postulaverat, dicit, *mensurabiles esse dies suos*, id est, tam brevem esse durationem vitae suae, ut nullo negotio mensurari possit. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te*, q. d. Parum dixi, dies meos breves esse, nam *substantia mea*, id est, subsistentia mea, sive hoc ipsum, quod sum et subsisto, nihil est ante te. Quid enim sunt pauci anni ad infinitam durationem? Nomen *substantiae*, hic subsistentiam et spatium vitae significare, patet ex hebraeo; unde s. Hieronymus vertit: *vita nihil est coram te.*

8. *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Adhuc magis declarat, et nobis persuadere nititur, quod ipse percepit. Non solum, inquit, tempus vitae nostrae brevissimum est, sed etiam *omnis homo vivens* quicumque ille sit, etiam rex et monarcha, nihil aliud est, nisi *universa vanitas*, sive universitas vanitatis; ita ut vanitas et miseria, quae per alias creaturas frustatim spargitur, in uno homine aggregata videatur.

9. *Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur.* Id est, *homo pertransit*, et perambulat viam vitae huius *in imagine rerum*, non in rerum veritate, habens videlicet in hoc toto iti-

nere ante oculos non res veras, sed rerum umbras tantum, atque imagines. Vita enim, quam hic habemus, imago est vitae beatae, quae sola vera est vita; sanitas huius temporis, imago est immortalitatis, quae sola est vera sanitas: divitiae terrenae non sunt verae divitiae, sed imagines, et umbrae divitiarum coelestium. Idem potest dici de caeteris, quae hic dicuntur bona. *Sed et frustra conturbatur*, ideo sine ulla causa conturbatur homo in rebus temporalibus quaerendis vel conservandis; frustra laetatur in earum lucro, et frustra plorat in earum iactura, cum non sint res solidae ac verae, sed imaginariae, fragiles et caducae. S. Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius exponunt illud: *in imagine pertransit homo*, pertransit homo instar imaginis, ut homo non tam sit homo, quam hominis imago in tabella depicti.

10. *Thesaurizat et ignorat, cui congregabit ea.* Probat unico exemplo, frustra homines conturbari in opibus quaerendis, augendis, conservandis: quoniam nesciunt cui laborent; accidit enim saepissime, ut haereditas ad ignotos vel inimicos perveniat, vel certe ut filii vel nepotes brevissime dissipent, quod pater vel avus, longissimo tempore ac magno labore acquisivit, etc.

11. *Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.* Ex brevitate et vanitate vitae praesentis tam clare perspecta concludit, se quidem spem suam in solo Deo ponere constituisse. *Et nunc*, inquit, his ita se habentibus, *quae est expectatio mea?* quid spero, quid quaero, quid opto? *nonne Dominus expectatio et spes mea est?* deinde conversus ad ipsum Deum, dicit, *substantia mea apud te est*, id est, vita mea et opes meae apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas,

te unum pro rebus omnibus habere cupio, quia in te sunt omnia.

12. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.* Quoniam dixit se terrena contemnere et solum Deum expectare, et in eo omnes spes suas collocasse, consequenter adiungit de peccatis se sollicitum esse, non autem de opprobriis hominum. *Ab omnibus iniquitatibus, etc.*, id est, quia sola peccata vera mala sunt, ideo precor, ut me ab omnibus liberet. *Opprobrium insipienti dedisti me.* Haec verba coniunguntur cum sequentibus hoc modo: *Tu quidem opprobrium insipienti dedisti me; ego autem obmutui, et non aperui os meum.* Significat autem se propterea quod diceret, vana esse, et contemnenda praesentia, et in solo Deo spem esse ponendam, derideri solitum ab insipientibus, qui non capiunt, quae Dei sunt.

13. *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti: Amove a me plagas tuas.* Cum opprobria ab insipientibus audivi, non respondi neque defendi me, sed *obmutui et non aperui os meum.* Reddit autem rationem, cur hoc fecerit: *Quoniam, inquit, tu fecisti,* nimirum ut opprobria in me iactarentur; tu enim es, qui posuisti me opprobrium insipientibus: et hanc eandem rationem dedit David, quando obmutuit ad maledictionem Semei. II. Reg. c. xvi, *Amove a me plagas tuas*, q. d. Accipio libenter contumelias et opprobria insipientium; sed plagas tuas a me omnino remove. Vocat enim plagas Dei, flagella et supplicia, quae Deus iratus immittit. Tales plagae sunt excaecatio, obduratio, sensus reprobus et ipsa damnatio.

14. *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus; propter iniquitatem corripuisti hominem.*
15. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius;*

verumtamen vane conturbatur omnis homo. Explicat cur tantopere cupiat a se removeri plagas Dei, et dicit causam esse, quoniam expertus est in seipso et in aliis, quam intolerabiles sint eiusmodi plagae. De se primo dicit: *A fortitudine manus tuae, etc.*, id est, ego ipse fortitudinem et potentiam, sive gravitatem manus tuae percutientis expertus *defeci in increpationibus*, id est, in illa increpatione, quando in furore tuo arguisti me. Hoc autem Davidi contigit, quando ob adulterium Deus in poenam huius peccati permisit, illum cadere in peccatum homicidii, et in tantam caecitatem, ut per multos menses non redierit ad se, neque miserum suum statum agnoverit; nullum enim est gravius supplicium, quam quando poena peccati est aliud peccatum. Deinde addit Propheta de aliis peccatoribus hac crudeli plaga a Deo punitis: *propter iniquitatem corripuisti hominem, etc.* id est, propter peccata praecedentia corripuisti hominem peccatorem, et fecisti ut anima eius contabesceret instar aranae, quae laborat in texenda tela, ut capiat muscas, et interim ipsa exsiccatur et corrumpitur. Sic enim animae hominum carnalium iusto Deo iudicio, perpetuo laborant in rebus temporalibus acquirendis, et in eo labore anima exsiccatur omni humore gratiae, ut ne cogitent quidem de salute sua, etc. Concludit propheta: *Verumtamen vane conturbatur omnis homo*, id est, omnis homo cuius anima sic tabescit vane conturbatur, frustra laborat, etc.; quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?

16. *Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.* Magno affectu psalmum concludit, orans Deum: quid autem oret, paulo post explicabitur.

17. *Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Adhuc postulat exaudiri, et nondum explicat petitionem. *Ne sileas*, id est, responde petenti; qui enim silet audita petitione, idem facit, ac ille, qui non vult concedere, quod petitur. Reddit rationem cur debeat audire Deus, *quoniam advena, etc.*, id est, quoniam tu nosti quod non sim civis huius mundi, sed civis supernae Ierusalem, quamvis hic interim degam; decet autem, ut audias civem civitatis tuae in exilio positum, et ad te clamantem.

18. *Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.* Hic iam exponit petitionem suam. Scilicet petit cum clamore et lacrymis veniam peccatorum, ut pacata conscientia de peregrinatione ad patriam laetus perveniat. Ait igitur: *Remitte mihi, ut refrigerer, etc.*, id est, ut ante discessum ex hac vita refrigerer intelligens mihi peccata esse remissa, *et amplius non ero* advena et peregrinus in hac vita.

PSALMUS XXXIX.

Synopsis

Hunc psalmum Ss. PP. Ambrosius, Hieron., Aug., Euthymius, et alii totum de Christo et Ecclesia exponunt, id est de corpore et capite, ita ut Christus semper loquatur, sed primo in persona corporis sui, deinde in persona sua. Agit autem Patri gratias de impensa sibi ope et liberatione, et loco sacrificiorum legalium promptam ei obedientiam offert, et seipsum holocaustum in cruce, etc. Ita Athanasius, Didymus, Theodoretus et alii.

1. *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.* Christus in persona populi sui exponit longam expectationem redemptionis: expectavit enim supra

quatuor annorum millia. *Expectans expectavi Dominum*, id est, longo tempore, sine intermissione expectavi Dominum, miserantem, visitantem et liberantem populum suum; *et intendit mihi*, id est, et tandem a spe mea fraudatus non fui: nam ad me audiendum intendit aures suas.

2. *Et exaudivit preces meas: et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis*. Hic fuit effectus exauditionis, quod *eduxit me de lacu miseriae*, id est, e calamitatibus, miseriis ac periculis, in quibus quasi in lacu et luto foetido, ac sordido ante redemptionem altissime immersus iacebat omnis homo. Ita Eusebius, Theodoretus et alii.

3. *Et statuit supra petram pedes meos: et direxit gressus meos*. Ille, qui ceciderat in lacum miseriae, de via ceciderat, in qua posuerat eum Deus initio creationis: per redemptionem non tantum fuit eductus de lacu miseriae, et luto faecis, sed etiam in viam, eamque stabilem ac firmam restitutus, atque hoc est, quod ait: *Et statuit, etc.* Id est, *pedes meos*, quos de profundo et lutoso lacu eruit, statuit supra altam et firmam petram: *Petra autem est Christus*; itaque statuit supra fidem et doctrinam, atque exempla Christi pedes iustificatorum, ut sequantur vestigia eius: *Et sic direxit gressus meos*, scilicet in viam pacis.

4. *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro*. Ex eo, quod constituit me Deus in via rectissima et firmissima, ipse mihi suppeditavit novam omnino materiam novae laudis, quod idem canticum novum Deo nostro iucundissimum est.

5. *Videbunt multi et timebunt; et sperabunt in Domino*. Populus Dei iam liberatus a lacu miseriae sive idem Christus in persona populi liberati, praedicat multos ad exemplum eorum liberandos: *vide-*

bunt enim lacum miseriae, et liberationem aliquorum, *et timebunt* nunc lacum *et sperabunt* in liberatore. Hoc enim est initium salutis, cum Deus per gratiam suam incipit aperire oculos interiores hominibus peccatoribus, ut videant statum miserimum peccati, et simul cognoscant a quo liberari possint, et inde timere et sperare incipiant.

6. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius; et non respexit in vanitates et insanias falsas.* Haec est quasi adhortatio et laudatio invitans homines ad imitandos liberatos. *Beatus vir, etc.*, id est, ille vere felix est, qui spem suam vere ponit in Domino, qui solus potest et vult de omni miseria liberare eos qui sperant in se. Addit ad maiorem explicationem: *et non respexit in vanitates, etc.* Id est, non respexit ad auxilium rerum vanissimarum et fallacium, quae salvare non possunt, ut respiciunt homines vani et stulti.

7. *Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.* Transit nunc ad explicandum mysterium redemptionis humanae, per quod educti sunt et educuntur plurimi de lacu miseriae, et luto faecis; et primo generatim significat mirabilia esse opera Dei. *Et cogitationibus tuis, etc.*, id est, in cogitationibus, sive in adinventionibus sapientiae tuae non est, qui tibi comparari possit.

8. *Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.* Id est, manifestavi aliqua eiusmodi opera mirabilia per prophetas, per sapientes homines, etiam per elementa, etc., sed *multiplicata sunt super numerum*, id est, tam multa sunt, ut numerari non possint, proinde neque annuntiari, neque manifestari omnia possunt. Ita Bellarm. Quod autem in latino positum sit genus masculinum: *multipli-*

cati sunt, videtur ab interprete factum, quia respexit ad nomen graecum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet: *διαλογισμοί*: ss. pp. tamen, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus retulerunt hunc versum ad conciones Christi, ut sensus sit; *Annuntiavi et locutus sum mirabilia tua, et multiplicati sunt ii qui crediderunt super numerum*, id est, innumerabiles crediderunt.

9. *Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi.* 10. *Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio.* Mirabilia vere sunt omnia quae fecit Deus; sed omnibus aliis excellit opus redemptionis nostrae: hoc igitur admirabile mysterium hic Christus ipse per linguam et calamus Davidis exponit. *Sacrificium et oblationem noluisti, etc.*, hoc est, non voluisti placari sacrificio pecorum, neque oblatione panum, vel thuris, etc.; sed victima infiniti pretii, ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem, expiarem primi hominis inobedientiam; et quoniam *holocaustum* pecorum et *sacrificium* pro peccato non admisisti, idcirco ego *dixi, ecce venio*, ut ego ipse fiam sacerdos et sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriae et de luto faccis.

Hic notandum est primo: Non esse contrarium, quod hic dicitur, *sacrificium et oblationem noluisti*, tot praeceptis Domini de sacrificiis offerendis, quae habentur in Levitico; nam voluit quidem olim Deus sacrificia, oblationes, holocausta et victimas pro peccato, sed voluit ad significandam non ad faciendam expiationem, ut constat ex epist. ad Hebr. c. x.

Secundo notandum illud: *ures perfecisti mihi*, esse locutionem figuratam et significare, *corpus aptasti mihi*, ut habent Lxx, et Apostolus explicat ad

Hebr. x, v. 5. Et non sine causa per *aures* potius, quam per aliud membrum hoc loco totum corpus significatur; quoniam aures sunt instrumenta, per quae accipiuntur praecepta superiorum, quibus debetur obedientia; Christus autem ob id potissimum corpus accepit, ut Patri Deo per obedientiam in forma servi obediret, et obediendo pro peccatis totius mundi satisfaceret.

Tertio notandum est, illud: *tunc dixi: Ecce venio*, referri ad tempus, quo Deus decrevit, nolle admittere sacrificia V. T. pro expiatione: tunc enim ubi Deus hoc decrevit, dixit Filius Dei: *ecce venio* ego, ut per sacrificium corporis et sanguinis mei reconciliatio impleatur.

11. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Exponit iam ad quid veniat, scilicet, ut faciat voluntatem Dei, sicut de eo scriptum est. Voluntas autem Dei erat, ut per oblationem corporis sui ad passionem et mortem sanctificaret nos, ut hunc locum exponit Apostolus ad hebr. x: *In capite libri scriptum est de me.* S. Ambrosius intelligit per caput initium libri Gen., c. ii; s. Augustinus intelligit initium libri Psalmorum, ubi dicitur de Christo, *in lege Domini voluntas eius.* S. Hieronymus intelligit per caput libri initium evangelii s. Ioannis: *In principio erat verbum, etc.* et infra, *Et verbum caro factum est.* Haec omnia probabilia sunt, sed videtur simplicissima et litteralis expositio; si nomine capitis intelligatur summa totius libri divinarum Scripturarum, quia summa totius Scripturae Christum loquitur. Ita Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius et bene, nam et graece et latine dicitur caput non solum initium libri, sed etiam id, quo omnia referuntur. Dicit igitur Dominus: *In capite libri scriptum est de*

me, etc. Id est Scripturae omnes testantur, me ad hoc venturum fuisse in mundum, ut facerem voluntatem tuam, tibi per omnia accuratissime obediendo. Deinde conversus ad Patrem addit, *Deus meus, volui*, id est, libentissime acceptavi decretum tuum, *et legem tuam in medio cordis mei*, supplendum est, *posui*, id est, nihil maiori affectu desideravi, quam implere legem tuam.

12. *Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.* Quamvis divinae voluntatis finis praecipuus fuerit, ut Christus pro humano genere moreretur; voluit tamen Deus Pater, ut ipse non solum Redemptor, sed etiam doctor et magister esset humani generis; ideo nunc dicit: *Annuntiavi* (sive ut in graeco habetur, evangelizavi) *iustitiam tuam, etc.* Id est, legem tuam iustissimam et etiam opera verae iustitiae, quae tu requiris ab hominibus, et hoc praedicavi palam, et publice audientibus innumerabilibus populorum turbis; et tu, Domine, testis esse potes, quia id feci et faciam deinceps.

13. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.* Quod dixerat de iustitia, quam a nobis exigit Deus, videlicet, quod eam annuntiaverit, et non absconderit: idem nunc subiungit de iustitia et misericordia, quae est in ipso Deo: nam iustitiam vocat *veritatem*, id est, fidelitatem, per quam fideliter reddit unicuique secundum opera sua. Et misericordiam vocat *salutare*, sive salutem, quam misericorditer praebet sperantibus in se. Haec igitur omnia Christus non abscondit, sed omnibus clare manifestavit.

14. *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem a concilio multo.* Idem repetit a concilio multo, id est, a multitudine populorum. Haec verissima esse manifeste colligimus ex Evangelio.

15. *Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua, et veritas tua semper susceperunt me.* Transit nunc a praedicatione ad passionem: et sicut ipse manifestavit hominibus iustitiam et misericordiam Patris, ita nunc precatur Patrem, ut non differat misericordiam et veritatem suam in ipso, per resurrectionem celerem ab omni passione et morte liberando. *Tu autem, Domine, etc.* Id est vides, Domine, in quam acerbam passionem incidi, quia non tacui manifestare hominibus iustitiam et misericordiam tuam. ideo tu quoque *non longe facias miserationes tuas a me*, celeriter resuscitando: sicut hactenus misericordia tua et fidelitas tua semper susceperunt me.

16. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meae et non potui, ut viderem.* 17. *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.* Reddit rationem cur dixerit, *ne longe facias*, etc., *quoniam circumdederunt me mala, etc.*, Vere enim passiones Christi plurimae fuerunt, et simul omnes quasi agmine facto in eum irruerunt. Cur autem tot fuerint passiones eius, causa fuit, quoniam peccata nostra, quae ipse super se accepit, innumerable sunt: *Comprehenderunt me iniquitates meae*, id est, iniquitates omnium hominum, *quas Pater super me posuit*, ut dicitur Isaiae LIII, et quas proinde meas fecit, ut super lignum in corpore meo illas portarem: illae, inquam, *omnes comprehenderunt me.* *Et non potui, ut viderem*, id est, tot sunt iniquitates, quae me comprehenderunt, ut non praevaluerim videre, quot sint: nam *multiplicatae sunt super capillos capitis mei*, id est, superant multitudine sua numerum capillorum; et ideo quasi obrutus multitudine tanta malorum, *cor meum dereliquit*

me, id est, vigor ipse, et ipsa vita dereliquit me. Porro quod hic dicit Christus, *non potui, ut viderem*, non est accipiendum proprie, quasi revera Dominus non potuerit videre numerum peccatorum, sed loquitur more humano, et solum significare voluit, peccata, quae expianda suscepit, esse innumerabilia.

18. *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine, ad adiuvandum me respice.* Redit ad orationem, quam inchoaverat in vers. 15, ac petit liberationem a tantis malis per celerem resurrectionem. *Domine, ad adiuvandum me respice*, id est, videris quidem ad tempus me dereliquisse, et a me faciem avertisse, sed iam *respice ad me adiuvandum*, ut brevi repleas me laetitia gloriosae resurrectionis.

19. *Confundantur et reveantur simul, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.* Ex Christi resurrectione secuta est maxima confusio adversariorum, qui eum plane a se extinctum existimabant. Id nunc praedicat per modum imprecationis, quae forma loquendi frequens est apud prophetas.

20. *Convertantur retrorsum et reveantur, qui volunt mihi mala.* Idem fere repetit: Confusi recedant, verecundentur et erubescant, *qui volunt mihi mala*, id est, non ii solum, qui quaerunt me interficere, sed etiam omnes alii, qui cupiunt confusionem et ignominiam meam. S. Augustinus exponit hunc versum in eam partem, quasi Dominus precetur adversariis suis conversionem a peccatis. Pia expositio, sed prior videtur magis litteralis, et facilius cum versu superiore continuatur.

21. *Ferant confestini confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.* Id ipsum tertio repetit. *Qui dicunt mihi: Euge, euge*, id est, qui de me quasi victo gratulantur, ut iam explicatum est supra psalm. xxxiv.

22. *Exultent et laetentur super te omnes quaerentes te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Nunc per modum precationis bonae praedicat etiam laetitiam sectatoribus suis. *Qui diligunt salutare tuum*, id est, qui diligunt Salvatorem, quem misisti, vel qui diligunt salutem, quam tu solus dare potes. Caetera habentur in psalmo. xxxiv.

23. *Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei.* Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis, praesertim quando nudus pendeat in cruce, egenus et destitutus omni humano auxilio: quamvis autem pauper esset, quantum ad temporalia bona, tamen ditissimus erat protectione paterna, ideo subiungit, *Dominus sollicitus est mei*, vel ut est in hebraeo, Dominus cogitat pro me. Vocat Patrem *Dominum*, quoniam loquitur in forma servi, sive ut filius hominis, secundum quam naturam pendeat in cruce.

24. *Adiutor meus et protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris.* Concludit, *ne tardaveris*, nimirum eripere me ab omnibus malis per celerem resurrectionem.

PSALMUS XL.

Synopsis

Videtur hic etiam psalmus ad Christi passionem totus pertinere: sic enim eum PP. accipiunt, Ambr., Hier., Aug. et Chrysost. qui addit, temerarium esse aliter exponere, cum citetur ab ipso Christo Ioan. XIII versus ex hoc psalmo ad demonstrandum, Iudae proditorem fuisse multo ante praedictam.

1. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Beatus dicitur, qui attente considerat Christum pauperem: inveniet enim esse pauperem, non necessitate, sed voluntate, ut nos sua inopia locupletaret. Item inveniet pauperem in carne, ut dicit s. Ambr., sed divitem in regno. Praeterea *Beatus, qui intelligit super Christum pauperem, nudum videlicet in cruce pendentem, id est, qui attente cogitat passionem eius: infinitus enim thesaurus paratus est, Christi passionem, ut par est intelligentibus et diligenter meditantibus.* Demum beatus quoque est, *qui intelligit super egenum et pauperem Christum membrum suis de quibus dicturus est, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et ratio, cur beatus sit talis, est, quia *in die mala liberabit eum Dominus, videlicet, ipse ab egestate liberabitur in die mala, quae est dies penuriae et sterilitatis.* Sed hic praecipue dicitur dies mala, dies ultimi iudicii, quae erit dies solius iustitiae, ac per hoc erit in illa summa penuria miserationis et gratiae: in illa igitur die potissimum securi erunt, qui Christi crucem amaverint, et qui propter Christum benevoli fuerint.

2. *Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra; et non tradat eum in animam inimicorum eius.* Declarat quod dixit, in die mala liberabit eum Dominus, et per modum bonae imprecationis praedicat bona, quae dabuntur intelligenti super pauperem. *Dominus conservet eum*, et custodiat, dum vivit: *et vivificet eum*, post mortem resuscitando cum iustis, *et beatum faciat eum in terra*, tunc scilicet vere perfecteque beatum reddat in terra viventium, *et non tradat eum in animam inimicorum eius*, id est, et neque in hoc saeculo, neque in futuro sinat eum subiici voluntati inimicorum, sive homines sint, sive daemones. Vocat enim animam voluntatem, sive desiderium.

3. *Dominus opem ferat illi, super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Subiungit, homines misericordes et pios quidem in hoc exilio varias tribulationes seu tentationes etiam passuros esse: sed non absque divina consolatione, et ait: si quando pius ille, de quo loquebatur, inciderit in lectum doloris, sive dolor sit corporalis, sive spiritualis, sive sit proprie in lecto aegrotus, sive metaphorice decumbat quasi lecto affixus ex quacunque tribulatione, Dominus opem feret illi: atque ita consolabitur eum, ut patienter ferat, etc. *Universum stratum eius versasti, etc.*, est apostrophe ex abrupto, q. d. Tu ipse, o Deus, instar officiosae ancillae, versas, et molliter componis lectum talis hominis pii, ac misericordis aegrotantis, ut nempe commodius et levius ferat morbum. Id est, sedulo curas, foves, solaris eum, qui alios fovit et solatus est. Ita Eusebius, Hieronymus, Augustinus et alii.

4. *Ego dixi: Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.* Hic incipit Christus

declarare, se esse egenum et pauperem illum, de quo initio dixerat: *Ego dixi: Domine, miserere mei*, id est, miserere corporis mei mystici, infirmorum membrorum meorum, *sana animam meam, etc.*, id est, ad hoc misericordiam tuam imploro, ut sanes languores fidelium meorum, quorum peccata mihi imputo, quasi ego illa fecissem. Potest etiam sic exponi, ut Christus ipse de passione sua loquatur dicens: *Miserere mei* in tribulatione positi, ut celeriter resuscitando ab omni passione me liberares: *sana animam meam*, quae tristis est usque ad mortem, et ideo tristis est, et languet, pavens, moerens et taedens, quia peccavi tibi, id est, peccata totius mundi in me recepi.

5. *Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur et peribit nomen eius?* Haec manifeste pertinent ad pharisaeos et sacerdotes Iudaeorum, qui avidissime Christi mortem sitiiebant, et de ipso interficiendo saepissime inter se colloquebantur. Illud autem, *mihi positum est pro, de me.*

6. *Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: cor eius congregavit iniquitatem sibi.* Transit a Iudaeis ad Iudam, q. d. Et si aliquis eorum, ut Iudas proditor, *ingrediebatur ut videret*, id est, ut exploraret et quaereret opportunitatem prodendi, *vana loquebatur*, id est, falsi aliquid fingebat, ne animus eius detegeretur: sed interim *cor eius congregavit iniquitatem sibi*, id est, corde meditabatur dolos, et proinde multiplicabat iniquitates sibi ad suam videlicet aeternam damnationem.

7. *Egrediebatur foras et loquebatur in idipsum.* De eodem Iuda pp. haec etiam accipiunt, qui cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, *egrediebatur et loquebatur simul cum iis*, quibus Dominum proditurus erat.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.* Audito Iuda proditore, coeperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si alta voce loquerentur de pecunia danda et ratione invenienda de Christo capiendo. Susurrabant, id est, submissa voce loquebantur, et *adversum me cogitabant mala*, scilicet susurrando deliberabant de morte mihi inferenda. Illud *mihi* redundat ex phrasi hebraica.

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat?* Ex illa susuratione inimicorum hoc secutum est, ut firmiter constituerent Iudaei Christum occidere, et hoc est, quod subiungit dicens: *Verbum iniquum, etc.*, id est decretum iniquum statuerunt contra me, ut videlicet me, quamvis innocentem, morti traderent. Addit vero continuo, *Numquid qui dormit, etc.*, q. d. Quamvis illi tam iniquum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent? quin potius ideo mortem suam somnum vocat, quia quam facile est dormientem excitare a somno, tam facile est verbo Dei carnem suam mortuam revocare ad vitam.

10. *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Reddit rationem cur inimici verbum iniquum adversum se constituerint, et dicit fuisse causam eius iniqui decreti Iudae proditionem. *Etenim homo pacis meae*, id est, cum quo pacem habebam ut magister cum discipulo, et cum servo dominus: et homo, *in quo speravi*, id est, in quo tanquam in amico et familiari confidere poteram, *qui edebat panes meos*, id est, qui in mensa mea, ut domesticus, mecum vescebatur, *magnificavit super me supplantationem*, id est, mirifice me supplan-

tavit, cum per insidias inimicis me tradidit. Hunc locum Dominus ita citavit Ioan. xiii, v. 18: *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura: qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*: supplantare aliquem, et levare contra illum calcaneum, idem est. Caeterum in hoc versu pulcre notat s. Augustinus Iudam vocatum fuisse *hominem pacis*, quoniam praevidit propheta, Christum a Iuda per signum pacis, id est, per osculum fuisse tradendum: quod etiam Dominus significavit, cum illi ait: *Amice, ad quid venisti?* Item, Iuda, osculo filium hominis tradis?

11. *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.* Hoc dicit Christus: Illi quidem verbum iniquum statuerunt contra me, et discipulo meo supplantante et prodente, interficient me: *sed tu, Domine, miserere mei*, in cruce morientis, et paulo post *resuscita me*, et tunc *retribuam eis*, quod merentur. Quid vero Christus retribuere post resurrectionem suam Iudaeis, notum est omnibus qui ab eo tempore vident Iudaeos de terra sua eradicatos, dispersos inter gentes, sine rege, sine sacerdote, sine Deo vagari. Quod illis praedixerat Dominus, Matth. c. xxi, v. 43 et c. xxiii, v. 38, et Luc. c. xix, v. 44.

12. *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque inde posse cognosci, quod non gauderent inimici de morte eius, qui tam brevi tempore gavisii sunt, ut dici possint non esse gavisii. Porro in versu sequenti docet, inimicos non diu gavisuros de morte sua: quoniam a Deo susceptus et exaltatus propter innocentiam suam fuerit.

13. *Me autem propter innocentiam suscepisti (de manibus eorum), et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.* Id est, humiliasti me ad horam in conspectu hominum, sed suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo, id est, stare fecisti in conspectu tuo in coelo in aeternum.

14. *Benedictus Dominus Deus Israël a saeculo et usque in saeculum; fiat, fiat.* Ista conclusio, sive Christi sive prophetae sit, nihil aliud significat, nisi propter exaltationem Christi, et confusionem inimicorum eius, deberi honorem, et gloriam, et benedictionem Deo ab aeterno usque in aeternum, id est, sine fine. Illud autem *fiat, fiat*, hebraice Amen, Amen, confirmatio est dictorum, ut sensus sit: Ita fiat, ut semper Deo laus et gloria deferatur.

PSALMUS XLI.

Synopsis

David amore divino succensus exprimere conatur vehemens desiderium, quo tenebatur perveniendi ad visionem Dei, quae est vera et sempiterna felicitas, cum tamen inter tentationes et pericula peregrinationis viveret. Ita S. Hier., August. et Chrysostom. Interim, dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet, quae sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci. Notandum est, quod hic psalmi huius titulus (In finem, intellectus filiis Core) admoneat filios Core, quibus dabatur psalmus cantandus, ut intelligant, quae canunt, ut et auditores intelligere faciant: cantus enim in Ecclesia spiritui deservire debet, et non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter et devote canunt, animos au-

dientium rapiunt in Deum; ita qui theatrales modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei scenam mundi faciunt. Videatur S. Hieronymus in c. v. ad Ephes.

1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* David ut amorem suum erga Deum aliquo modo exprimat, comparat se cervo sitibundo, cum scilicet vel fatigatus a venatoribus, vel infectus esu serpentum, vel anhelus, et hians prae siti ad aquam festinat. Ita Eusebius, Hieronymus, Theodoretus.

2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Tria sunt, ut Chrysost. annotat, quae amorem, ac per hoc sitim ac desiderium accendere solent, pulcritudo, beneficia et amor. Haec tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, id est, amore et desiderio eius ardere se dicit: *Sitivit anima mea ad Deum*, id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, praestantissimam, quae bona omnia in se complectitur: *Fortem*, id est, ad rem non fluxam et caducam, sed stabilem, permanentem, aeternam: *Vivum*, id est, ad rem operantem, intelligentem, amantem, quae nos continuis beneficiis afficit, et incredibili amore diligit. Haec ergo sitis in rem tam pulcram, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere: *Quando veniam; etc.*, id est, quando finis erit peregrinationis? quando initium fruitionis?

3. *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Dicit se lacrymis, quasi panibus sustentari assidue, per dies et noctes, id est toto tempore huius peregrinationis; vel per dies prosperitatis et noctes adversitatis: *dum dicitur mihi quotidie* ab impiis et

incredulis: *Ubi est Deus tuus ad quem sitis? cur diligis, quem non vides? Posset etiam sic exponi: Dum quotidie per circuitum omnia lustras, quaerens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, et cogitatione mea, Ubi est Deus tuus? haec enim omnia quae peccando perlustrasti opera sunt Dei, omnia quidem pulchra, sed non sicut Deus tuus: ubi est igitur Deus tuus? ubi quaeres, ut invenias, quando videbis faciem Dei tui?*

4. *Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* Pergit in explicando desiderio suo. *Haec, inquit, recordatus sum, quae dicta sunt de inquisitione Dei, et effudi in me animam meam, id est, laxavi menti meae habenas, ut pro libitu indulgeat dolori ac lacrymis; sed effusis lacrymis infusa sunt gaudia, quia spero transire in locum tabernaculi admirabilis, etc.* Per locum tabernaculi admirabilis intelligitur coelestis Ierusalem, ubi est domus Dei, de qua dixerat supra: *Unam petii a Domino, etc.*

5. *In voce exultationis et confessionis: sonus epulantis.* Subintelligitur, transibo in locum tabernaculi admirabilis, et sensus est: Pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis et confessionis, laudis videlicet Conditoris illius tabernaculi, quae vox erit *sonus epulantis*, id est, vox laeta et festiva, quales audiuntur in solemnibus ac festivis epulis.

6. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? 7. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus.* Ex illa mentis elevatione et gaudio spirituali consolatur lacrymas suas, dicens: *quare tristis es, anima mea? id est, quare lacrymae tuae sunt tibi panes die ac*

nocte, dum dicitur tibi : *Ubi est Deus tuus? quare tam ineffabili fletu conturbas me? Spera in Deo*, id est, quamvis Deum non videas, quem tam arden- ter videre cupis, tamen spero in eo : *quoniam ad- huc confitebor illi*, id est, adhuc erit, quando prae- sens laudabo Deum, et confitebor misericordias eius, et dicam illi *salutare vultus mei et Deus meus*, id est, tu salus es vultus mei, dum illuminas ful- gore tuo vultum meum, et facis ut facies mea faciem tuam videat, etc., et ex clara notitia dicam : Tu es *Deus meus*.

8. *Ad me ipsum anima mea conturbata est: pro- pterea memor ero tui de terra Iordanis, et Hermoniim a monte modico*. Exponit vicissitudines tristitiae et consolationis suae, tristitiae ex metu et periculis huius vitae, consolationis ex spe, et promissione futurae. Dicit igitur, *Ad me ipsum anima mea con- turbata est*, id est, quamvis dixerim animae meae : *spera in Deo*, tamen anima mea *ad me ipsum*, re- spiciens, ad infirmitatem meam, etc., timore concu- titur; s. Hieron. *Ad me ipsum* vertit, *in me ipso*. *Propterea memor ero tui, etc.*, id est, ut huic ti- mori et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam, et ab hoc Iordane, quem in hac terra video, *memor ero tui*, id est memor ero fluminis illius, quod laetificat ci- vitatem tuam, et ab hoc *monte modico*, qui dicitur *Hermoniim*, quem ante oculos habeo, memor ero montis sancti tui, in quo habitas, etc., et ex hac memoria consolabor animam meam. Videtur mons *Hermoniim* esse diversus a monte *Hermon*: hic enim est mons amplissimus, ille hoc loco dicitur modicus, fortasse igitur *Hermoniim* erat mons ali- quis in Galilaea non longe a Iordane, cum David haec duo coniungat.

9. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* 10. *Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.* Pergit narrare tentationes et afflictiones huius vitae, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnum diluvium, quod erat tempore Noe. *Abyssus abyssum invocat*, id est, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et illa transeunte, alia supervenit: venerunt autem illae magnae inundationes a voce cataractarum tuarum, id est, in strepitu et sonitu aperture cataractarum coelestium. *Et omnia excelsa tua*, id est omnes gurgites altissimi, *et omnes fluctus tui super me transierunt*, id est, omnis illa inundatio et universum diluvium super me venit. Sed haec metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes et pericula, quibus divina providentia sinit exerceri electos suos. Ita fere Vatablus, Iansenius, Bellarminus, Tirinus et alii. Atque haec videtur esse literalis expositio: interim repudiandae non sunt piae nonnullorum expositiones, qui volunt, *Abyssus abyssum invocat*, significare: abyssus miseriae invocat abyssum divinae misericordiae, abyssus humanae malitiae invocat abyssum divinae iustitiae, etc. Illud solum advertendum, per vocem *invocat* in hebraeo non significari, implorat, sed *vocat*; est enim sensus *abyssus abyssum vocat*.

11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum eius.* Redit ad vicissitudinem consolationis post narratam et amplificatam magnitudinem tentationis. *In die etc.*, id est, postquam transierunt inundationes aquarum et horrendae illae abyssi, in die prosperitatis mandavit, id est, misit Dominus misericordiam consolantem et visitantem. *Et nocte canticum eius*, id est, tempore nocturno, videlicet, tempore tribulationis non ces-

sabit canticum eius, id est, oratio et gratiarum actio. Id quod clarius explicatur in versu sequente:

12. *Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo: Susceptor meus es.* Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius, quam oris. *Apud me oratio Deo vitae meae*, id est, in sinu meo est ingis oratio ad Deum auctorem vitae meae: cui cum fide et fiducia dicam, *Susceptor meus es*, id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsum eriges.

13. *Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?* Miratur vicissitudines divinae providentiae in servis suis gubernandis, q. d. Cum tu, Deus, vere susceptor meus sis, *quare oblitus es mei*, id est, unde hoc accidit, ut tentationes et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis, et fortitudo mea? unde, inquam, accidit *ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus*, cum tu sis protector meus, et adiutor meus?

14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.* 15. *Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* 16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.* Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente et spectante, qui susceptor meus es; sed etiam *dum confringuntur ossa mea*, dum ad summam debilitatem et infirmitatem devenio, ut tentationes vix iam ferre possim. *Exprobraverunt inimici mihi etc.*, dum assidue mihi dicunt, *Ubi est Deus tuus?* id est, illi ipsi, qui me persequuntur et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim. Dicunt enim, *Ubi est Deus tuus, quem tu*

adiutorem et protectorem tuum esse iactabas ? Sed is in his omnibus se ipse reprehendebat et dicebat: *Quare tristis es anima mea, etc.*

PSALMUS XLII.

Synopsis

Hic Psalmus est quasi appendix, vel potius epitome psalmi superioris. Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe futurae beatitudinis. Caeterum praemittitur hic psalmus Missae, quia excitat desiderium, laete ac decenter Deo sacrificandi.

1. *Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta ab homine iniquo et doloso erue me.* David, vel oppressus a rege Saule, vel tentatus graviter a daemonibus, Deum iudicem appellat: *Iudica me, Deus*, id est: Tu, Deus, esto iudex meus, non enim habeo ad quem pro iustitia confugiam, nisi ad te. *Et discerne causam meam etc.*, id est, diiudica causam, quae mihi intenditur a gente non sancta. Vocat autem gentem non sanctam, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox hebraea manifestat, et patet etiam ex sequentibus: *ab homine iniquo et doloso erue me*, id est, sic iudica causam meam, ut per hoc iudicium liberer me ab homine iniquo, etc.

2. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea; quare me repulisti? et quare tristis inchoo dum affligit me inimicus?* Est haec quaedam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum: quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua. Est autem hic versus fere idem

cum versu 12 psalmi superioris, et eundem habet sensum: Cum tu, Deus, sis fortitudo mea, et ego in tuo adiutorio unice confidam, unde fit, ut me repulisse videaris, et ego tanquam a gratia repulsus tristicus incedam, dum affligit me inimicus?

3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* David, utpote vir spiritualis, sollicitus fuit de liberatione, non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis aeternae vitae. Ait enim: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, id est, concede mihi lucem gratiae, et misericordiae tuae et veritatem et fidelitatem tuam. *Ipsa enim me deducunt* in hac periculosa peregrinatione, *et adducunt in montem sanctum tuum*, ubi coelestis est Ierusalem, *et in tabernacula tua*, id est, in ipsam domum tuam: ubi sunt multae mansiones, et tabernacula pro electis tuis. Porro licet hic tempus sit positum in praeterito, sumendum tamen est pro futuro, ut annotat Euthymius, et in scriptura poetica saepe sumi diximus, ad certitudinem rerum indicandam. Anagogice, fides et gratia deducunt nos in coelum, ita Eusebius.

4. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat iuventutem meam.* Explicat, quid factururus sit in monte sancto, et in tabernaculo Dei, nimirum, quod sacrificaturus sit cum aliis sanctis sacrificium laudis: *Introibo ad altare Dei*, videlicet sacrificaturus sacrificium laudis. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo *ad ipsum Deum*, id est, coram ipso Deo apparebo, quasi in intimum eius cubiculum introductus, ad Deum, inquam, *qui laetificat iuventutem meam*, id est, qui laetificat novam meam iuventutem: nam in patria renovabitur sicut aquilae iuventus nostra, ut dicitur ps. cii.

5. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?*
 6. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.* Explicat clarius, quod sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, aeternum, in coelis. *Confitebor tibi in cithara*, id est, laudabo te confitendo misericordias tuas, iustitias, et omnia mirabilia tua, et laudabo non solum ore, sed et opere: tunc enim optime, et sine ulla discordia vel repugnantia concordabunt cantus et *cithara*, id est, voces et opera. Porro citharae huius meminit etiam Apocalypsis c. v et c. xiv. Reliqua explicata sunt supra.

PSALMUS XLIII.

Synopsis

Sancti Patres et Graeci et Latini conveniunt, hunc psalmum continere praedictionem rerum, quae post tempora Davidis contigerunt. Nempe Ecclesia et Martyres queruntur, se libidini impiorum impune exponi causa religionis, Deumque obsecrant, ut tandem subveniat. Titulus psalmi nihil differt a titulo ps. xli. Est enim iste: In finem, filiis Core ad intellectum.

1. *Deus, auribus nostris audivimus: Patres nostri annuntiaverunt nobis.* 2. *Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.* Incipit populus Dei in persecutione positus, et prae afflictione gemens, commemorare magnalia, quae Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit: et miratur cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur; ut hac commemoratione et admiratione

Deum ad misericordiam flectat. *Deus*, inquit Propheta in persona Ecclesiae et martyrum utriusque testamenti, *audivimus*, etc.; et non accepimus incerto rumore, ab hominibus ignotis; sed ipsi *patres nostri*, viri fide dignissimi, qui nos filios suos nunquam decepissent, ipsi *annuntiaverunt nobis mirabile opus, quod fecisti in diebus eorum*, ipsis videlicet videntibus, et etiam opus, quod fecisti *in diebus antiquis*, quod patribus suis narrantibus ipsi patres nostri audierunt.

3. *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: affixisti populos, et expulisti eos.* Explicat in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus patrum, ac dicit: *Manus tua*, id est, potentia tua *disperdidit* ex terra promissionis *gentes* Chananaeorum et lebusaeorum, quae in illa habitabant, et gentibus illis eiectis *plantasti* patres nostros in illa terra: et *affixisti* gravissimis praeliis *populos* illarum gentium, et tandem devictos *expulisti*, ut locum darent populo tuo.

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos: 5. Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui; quoniam complacuisti in eis.* Id est, patres nostri tempore Moysis et Iosue non *in gladio suo*, sive virtute armorum suorum *possederunt terram* promissionis, *neque brachium eorum salvavit eos*, id est, neque robur eorum tantum erat, ut in praelio captivitatem vel mortem evadere possent: *Sed dextera tua*, etc., dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte, vel captivitate, quando cum Chananaeis pugnabant, et hoc ideo quia *complacuisti in eis*, id est, non propter eorum virtutes aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum.

Illud, *illuminatio vultus tui* significat proprie benignum aspectum, sive gratiam ac favorem.

6. *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus: qui mandas salutes Jacob.* Exponit nunc admirationem suam populus Dei dicens: Tu ipse, qui patres nostros adiuvabas et protegebas, quia Rex et Deus eorum eras; *tu*, inquam, ipse es etiam *Rex meus et Deus meus*, et ille idem, *qui mandas salutes Jacob*, id est, qui consuevisti salvare populum tuum, qui a parente suo nominatur Jacob. Adeoque illud, *qui mandas, etc.*, significat, qui iubes et praecipis salvare populum tuum, sive, qui solo imperio et nutu potes et soles salutem dare populo tuo.

7. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Id est, nos quoque, si adiutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, sive in auxilio tuo confidentes, et invocato nomine tuo, non timebimus, nec magni faciemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud *ventilabimus cornu*, est metaphoricum, ducta similitudine a tauris, qui cornibus proiciunt in ventum et in auras quicquid illis obiicitur. Adeoque significat, nos tua potentia freti, ea facilitate hostes nostros abigemus et fundemus, qua solet ferocissimus taurus cornibus ventilare paleas.

8. *Non enim in arcu meo sperabo; et gladius meus non salvabit me.* Pergit in similitudine inter populum Dei praesentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram, ita inquit, et ego populus tuus praesens, *non in arcu meo sperabo*, id est, non confidam in viribus et armis meis, *et gladius meus, etc.*, id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

9. *Salvasti enim nos de affligentibus nos; et odientes nos confundisti.* Id est, confiteor enim salutem meam non a viribus meis pendere, quoniam quotiescunque salvus factus sum a quacumque tribulatione, *tu salvasti nos ab affligentibus nos*, et tu es qui inimicos nostros, *qui nos oderunt* et perdere cupiebant, *confudisti*, efficiens protectione tua, ut ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

10. *In Deo laudabimur tota die; et in nomine tuo confitebimur in saeculum.* Ideo non in nobis, sed in Deo gloriabimur omni tempore, quod de hostium manibus liberabimur; et nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem et gloriam usque in aeternum. Illud *laudabimur* phrasis est hebraica significans gloriari, non proprie laudari.

11. *Nunc autem repulisti et confundisti nos; et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.* Hic incipit admiratio et conquestio populi Dei graviter afflicti ab inimicis. *Nunc autem*, id est, olim tanto favore nos prosequeris, *nunc autem repulisti et confundisti nos*. Nam et tempore Antiochi opprobrium erat vocari Iudaeum, et tempore tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. *Et non egredieris*, etc., id est si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Porro *virtus* hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam et robur significat.

12. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros; et qui oderunt nos diripiebant sibi.* Pergit in explicanda persecutione. *Avertisti nos retrorsum*, etc., id est, fecisti, ut qui in primo loco eramus, iam in postremo essemus, et tanquam victi et captivi sequeremur inimicos nostros, et iidem inimici nostri

pro arbitrio suo nos et nostra diripiebant et sibi in usum suum convertebant.

13. *Dedisti nos tanquam oves escarum; et in gentibus dispersisti nos.* Mire describit martyria sanctorum. *Dedisti nos tanquam oves escarum*, id est, permisisti nos tam facile trucidari et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatae ad macellum; *et in gentibus dispersisti nos*, id est, et eos ex nobis, quos hostes noluerunt occidere, permisisti dispergi inter gentes. Ubi notantur exilia in loca remotissima, ad quae frequenter sancti ablegabantur.

14. *Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Sancti Martyres tanquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, etc., hinc ait: *vendidisti populum tuum sine pretio*, id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nihil pretii accepisti. *Et non fuit multitudo*, etc., id est, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellet eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniae *in commutationibus eorum*, id est tanquam vilissima mancipia, fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abiectissima deputabantur.

15. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Ad supplicia corporalia adiungit irrisiones et opprobria.

16. *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.* Per similitudinem intelligitur proverbium, sive parabola. Ait igitur, *posuisti nos*, etc., id est, fecisti, ut gentiles de nostra calamitate parabolam sive proverbium sibi facerent, et cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandae, nostram miseriam

in medium afferrent. Posuisti etiam nos *commotionem capitis*, etc., id est, fecisti, ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur.

17. *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.* 18. *A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.* Explicat effectum irrisionum, qui sine dubio ingens confusio et verecundia erat. *Tota die verecundia mea*, etc., id est, omni tempore huius persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quae confusio faciei meae totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem haec tota confusio, *a voce exprobrantis*, etc., id est, ab iis qui mihi exprobrant stultitiam, quod crucifixum colam, impietatem, quod deos non venerer, etc. Caeterum istos, de quibus in hoc psalmo agitur, non fuisse tamen ab hac verecundia victos, docent verba sequentia.

19. *Haec omnia venerunt super nos, nec oblitus sumus te; et inique non egimus in testamento tuo.* Hoc est, has omnes angustias et tribulationes passus sumus, et non dimisimus te, ut coleremus deos alienos, *et inique non egimus*, etc., id est, non solum non adhaesimus diis alienis obliviscentes te Deum verum, sed neque ullam iniquitatem fecimus contra legem tuam; id enim hoc loco significat testamentum.

20. *Et non recessit retro cor nostrum; et declinasti semitas nostras a via tua.* Idem repetunt alii verbis et dicunt: Cum tecum ambularem ex corde adhaerentes tibi, non recessimus retro, neque te deseruimus. Illud autem, *et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem praecedentis negationis, ut sensus sit, *non recessit cor nostrum*

et non declinasti, etc., id est, non permisisti, ut gressus nostri declinarent a via, sive a lege tua. Ita s. Hieronymus: si quis vero velit affirmative exponere illud, *declinasti*, etc., poterit per viam Domini intelligere viam misericordiae et gratiae; et tunc sensus erit, *declinasti semitas nostras a via misericordiae a favore, a gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris: cum qua expositione satis conveniunt, quae sequuntur.* Ita Bellarminus.

21. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: et cooperuit nos umbra mortis.* Metaphoricum est, et significatur tribulationis et persecutionis magnitudo.

22. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* 23. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.* Probant testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerant. Dicunt enim: *Si obliti sumus, etc. Nonne Deus requiret ista?* q. d. certe requiret et inveniet, an ita sit; *ipse enim novit abscondita cordis.* Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

24. *Quoniam propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis.* 25. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.* Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. *Quoniam propter te, etc., id est, quoniam propter confessionem nominis tui quotidie morti tradimur, multi quotidie occiduntur ex nobis, Aestimati sumus; etc., id est, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quae sine resistantia vel misericordia iugulantur.* *Exurge, etc., id est, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patientur, cur tu siles quasi dormiens non adverteres?* *Exurge in auxilium nostrum, et ne repellas nos ab*

adiutorio tuo *in finem*, id est; usque ad consummationem. Finiatur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit apostolus Rom. viii.

26. *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae?* Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam superius sumpsit similitudinem a Dormiente, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non iuvat, quasi non videret miseriam nostram: et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum.

27. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* In eadem oratione persistens et sciens orationem humiliantis se gratissimam esse Deo, dicit se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. *Quoniam humiliata est, etc.*, id est, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhaesit in terra venter noster, dum toto corpore prostrati oramus te. Possunt etiam haec referri ad magnitudinem persecutionis, per quam redacti erant ad extremam et summam ignominiam et contemptum.

28. *Exurge, Domine, adiuva nos, et redime nos propter nomen tuum.* Addunt ultimam et efficacissimam rationem, cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum; ne videlicet blasphemetur amplius nomen ipsius.

Ad maiorem intelligentiam huius psalmi videntur expediendae quaestiunculae quaedam, quae hic facile occurrere possent. Quae ergo 1^o cur ii, qui in hoc psalmo loquuntur, querantur se sine culpa sua puniri, cum alii sancti persecutiones passim peccatis suis imputare soleant? Daniel. c. iii et ix,

item u Machab. 7. R̄. Negari non posse, quin ob peccata populi Deus persecutiones permittat. Caeterum ss. viri variis modis loquuntur: aliquando enim suscipiunt personam membrorum infirmorum (unum enim corpus sumus, alter alterius membra) et peccata fratrum suorum sibi tribuunt. Aliquando vero induunt personam perfectorum et sanctorum, qui revera puniuntur in communi persecutione sine propria culpa. Sic igitur Scripturae allatae inter se non pugnant: nam Daniel, tres pueri, ss. Machabaei loquebantur in persona membrorum infirmorum; isti vero, qui in hoc psalmo loquuntur personam innocentium et sanctorum induerunt.

Quaer. 2^o cur Deus innocentes punire sinat, cum persecutiones propter iniquos excitare permittat? R̄. Innocentes in persecutione proprie non puniri, sed probari: vult enim Deus per atrocitatem persecutionis, quasi per ignem, purgare ecclesiam suam et efficere, ut appareant, qui sint veri fideles, qui ficti; qui sint aurum, qui non, etc. *Tribulatio probationem operatur*, ad Rom. v.

Quaer. 3^o cur ergo sancti querantur de persecutione, et eam cito finiri precentur? R̄. Quia tribulationem tolerare iubemur, non amare; et nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amet; quamvis enim gaudeat se tolerare, tamen mavult non esse quod toleret, ut scribit s. Augustinus l. x Confess., c. xxviii. Deinde, quia persecutio atque tentatio periculosa est, cum sit incerta victoria, et sancti de se non praesumant.

Quaer. 4^o cur Deus, ut in hoc psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuat temporalia bona, et victoriam de inimicis, aliquando e contrario auferat eadem temporalia bona, et populum suum ab hostibus vinci ac debellari sinat? R̄. Ut omnes in-

telligant bona temporalia a Deo dari, non a daemonebus, vel a fato, aut fortuna; ideo tribuit illa amicis suis, quando ita expedire iudicat: ut autem amici Dei non adhaereant temporalibus bonis, neque ament stabulum pro domo, et exilium pro patria, saepe illis eripit eiusmodi bona, etc.

PSALMUS XLIV.

Synopsis

Conveniunt omnes interpretes, psalmum hunc continere laudes Messiae et sponsae eius Ecclesiae, ut sit quasi spirituale epithalamium; et huic argumento satis apte respondet titulus: In finem, pro iis, qui commutabuntur, filiis Core: ad intellectum, Canticum pro dilecto, hoc est: Canticum datum filiis Core, ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, cuius materia est pro iis, qui commutabuntur, scilicet ab infidelitate et Iudaismo ad Christianismum (ut S. Athan., Euseb., Cyrill. et alii interpretantur) et pro dilecto, per quem omnes intelligunt Christum, de quo non semel pater coelestis ait: Hic est filius meus dilectus. Matth. III et VII. Sensus igitur est: pro Ecclesia et pro Christo, pro sponsa et sponso.

1. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.* 2. *Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.* In hac praefatione docet propheta, hunc psalmum esse meram prophetiam a Spiritu s. dictatam. *Eructavit cor meum verbum bonum*, id est, mens mea ex plenitudine et copia illustrationis divinae, et coelestium revelationum, protulit foras ad aures hominum hunc psalmum, qui continet verbum bonum. Usus est autem pro-

pheta vocabulo *eruclandi*, ut ostenderet, se non propria voluntate et propria inventione in hoc psalmo loqui: ructus enim non emittitur voluntarie et ex electione, etc. Praeterea *verbum bonum* vocat hunc psalmum, quia non continet prophetiam rerum malarum, ut exitii civitatis, captivitatis populi, etc., sed praedictionem rerum secundarum et felicitium, quae magnam laetitiam et voluptatem sint allaturae. *Dico ego opera mea regi*, id est, ego simpliciter confiteor regi meo, qui est Deus, omnia opera mea et non mihi tribuo, quod non est meum; ideo non dixi, Ego psalmum istum scripsi, sed *eruclavi cor meum*, id est, non electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuae. Quod clarissime explicatur in sequenti versu: *Lingua mea*, etc., id est, lingua mea protulit hunc psalmum; sed id fecit non ut lingua mea, sed ut calamus Spiritus sancti, tanquam scribae velociter scribentis. Hoc autem *velociter scribentis* significat, Spiritum s. non egere tempore ad considerandum, quid et quomodo scribendum sit: illi enim tarde scribunt, qui inter scribendum cogitant, quam sententiam et quibus verbis scribere debeant. Ita Basilus, Eusebius, Theodoretus et alii.

3. *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum.* Incipit laudare Christum, ac primo a pulcritudine, deinde ab eloquentia, tum a fortitudine et robore, item a virtutibus animi, postremo a divina et regia dignitate et potestate, quibus etiam addit exteriora, videlicet vestimentorum et palatii nobilitatem. Incipit a pulcritudine, et ait: Non mirum est, o Christe, si tu dilectus dicaris, nam es *speciosus forma prae filiis hominum*, non tantum secundum divinitatem, ut Athanasius et Basilus ex-

ponunt, sed etiam secundum *humanitatem*, tum quoad *animam*, ut Theodoretus et Hesychius, tum quoad *corpus*, ut Hieronymus et Gregorius interpretantur. Habuit enim Christus et animam et corpus omni ex parte pulcherrima, perfectissima et ornatissima. Videri potest apud Nicephorum epistola Lentuli proconsulis, de lineamentis Christi. *Diffusa est gratia in labiis tuis*, his verbis eundem Christum laudat a gratia sermonis, sive a facundia: *Nunquam sic locutus est homo*. Ioannis vii. Sequitur, *Propterea benedixit*, etc., id est, propterea quod, sive in hunc finem *benedixit te Deus in aeternum*, ut benedictio Dei aeterna sit causa tantae pulcritudinis et gratiae, Significatur autem per benedictionem hoc loco gratia unionis hypostaticae, quae in aeternum duratura est; inde enim, tanquam ex fonte, manaverunt omnia dona, quae in Christi humanitatem copiosissime fusa sunt.

4. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*. Transit a laude pulcritudinis et facundiae, ad laudem fortitudinis militaris; et poëtico more non simpliciter narrat, sed per modum precantis, sive invitantis dicit: *Accingere gladio tuo*, etc., id est, Eia, dilecte Deo, qui non solum speciosissimus et gratiosissimus, sed etiam potentissimus et robustissimus es, accingere armis tuis, arma et para te ad daemones profligandos, et impios homines tuae fidei et servituti subiugandos. Ita Basilus, Cyrillus et alii. Quae sint autem arma eius, explicat dicens:

5. *Specie tua et pulcritudine tua intende, prospere procede et regna*. Id est, decore tuo, qui in specie sapientiae, et pulcritudine iustitiae consistit, quasi gladio et arcu accinctus, et instructus *intende, prospere procede et regna*, id est, dirige cursum tuum

ad praelium contra diabolum, prosperare in praelio, et devicto ac debellato principe huius mundi, acquirere tibi regnum, ut deinceps in cordibus hominum per fidem et caritatem regnes.

6. *Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.* Explicat rationem, cur Christus merito regnare debeat: quia videlicet habet virtutes regias: ac si diceret: *prosperare procede et regna, propter veritatem*, etc., id est, quam in verbis et promissis tuis semper observas: *et mansuetudinem et iustitiam*, id est, et propter mansuetudinem, quam iustitiae semper admisces; *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, id est, et cum his virtutibus regnans, mirabiles regni tui progressus videbis, neque egebis auxilio aliorum; sed ipsa dextera tua, virtus et potentia tua, per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, et progredi faciat in regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum.

7. *Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* Explicat modum, quo dextera regis Christi deductura sit ipsum in amplificando imperio, dicens: id fiet, quia *sagittae tuae*, sive spicula verborum Evangelii, et iacula gratiae suae, *acutissima*, infiges *in corda inimicorum regis*, id est, inimicorum tuorum: et sic fiet, ut vulnerati et devicti, *populi sub te cadant*, id est, tibi sponte se subdant. Ita Eusebius, Basilus, Theodoretus et alii. Illud ergo *populi sub te cadent*, per parenthesis legendum est: et dicuntur populi sagittis vulnerati cadere sub isto rege, quia non vulnerantur, ut omnino extinguantur, sed ut moriantur peccato et vivant iustitiae, et eo modo subiecti Christo regi remaneant ei que serviant.

8. *Sedes tua, Deus in saeculum saeculi; virga dire-*

ctionis, *virga regni tui*. Venit tandem ad supremam dignitatem Messiae, et apertissime vocat eum Deum, et sedem regni eius aeternam esse dicit. *Sedes tua, o Christe Deus*, non temporalis erit, ut Davidis et Salomonis, sed manebit *in saeculum saeculi*. *Et virga regni tui*, id est, sceptrum tuum erit semper rectissimum atque iustissimum. Phrasis enim hebraica est, *virga directionis*, pro virga rectissima; sicut etiam Deus scientiarum pro Deo scientissimo.

9: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Sensus: *Dilexisti iustitiam*, etc., propterea, quod *unxit te*, o Christe Deus, Deus pater tuus (ut habent Hieronymus, Mariana, Sa et alii), *oleo laetitiae*, id est, laetificante. Est autem hoc oleum, iuxta Basilium, Cyrillum et Augustinum gratia unionis hypostaticae, itemque omne genus gratiae infusae Christo in Incarnatione. Haec enim propterea, sive in eum finem illi data sunt, ut in munere suo regis, sacerdotis et prophetae, excellentissime diligeret, et exequeretur iustitiam. Potest nihilominus ista unctio etiam intelligi de gloria, dotibusque Christo in resurrectione collatis in praemium suae iustitiae, ut sentit s. Hieronymus. Illud *prae consortibus tuis*, significat, plus quam omnes socios tuos, id est, reliquos sanctos omnes angelos et homines, qui consortes et participes sunt regni gloriae Christi. Ita Theodoretus et alii passim.

10. *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis; a domibus eburneis; ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*. Hunc versum obscurissimum esse fatentur interpretes: explicanda sunt igitur primo vocabula, deinde ipsa sententia. *Myrrha* succus est notus, amarus et odoratus. *Gutta* nomen est genericum, sed ex hebraeo patet, esse *Aloë*; suc-

cus scilicet amarus et odoratus est, sed specie distinctus a myrrha. *Casia* denique frutex est, unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum etiam cinnamomum. Per *domos eburneas* intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sunt ebore. Per *filiis regum* intelligi possunt multitudines variorum regnorum: Scriptura enim passim vocat filiam Ierusalem, filiam Babylonis, filiam Assyriorum, filiam Tyri, pro multitudine populi illarum civitatum vel gentium. Possunt etiam intelligi, ut verba sonant, filiae principum, per quas figurate significantur animae excelsae, ut dicit s. Basilius: totus enim hic sermo figuratus est. His expositis, ut ad sensum veniamus, per aromata intelliguntur virtutes, sive dona Spiritus s. quae spiritualem odorem spirant; et quia paulo ante dixerat propheta Christo: *Unxit te Deus, Deus tuus*, subiungit nunc *myrrha et gutta, etc.*, explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt. *Myrrha* haec convenit patientiae, *aloë* humilitati et obedientiae; *casia*, ardentissimae charitati. Haec autem virtutum aromata manabant a vestimentis et domibus eburneis Christi. *Myrrha*, inquit, *gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, supplendum est, manant, vel manabant. Per vestimenta intelligitur humanitas Christi, quae quasi veste aut velo, divinitatem tegebat. Per domos eburneas intelligitur eadem humanitas, quae erat quasi templum, sive palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Nec refert, quod propheta utatur numero multitudinis *a domibus eburneis*: dicimus enim etiam de una domo in plurali aedes nostrae. Ita Bellarm. Sic vero ex aliis Tirinus explicat, paucis mutatis: omnium virtutum gratissimi odores spirant *a vestimentis tuis*,

nempe ab humana natura seu anima et corpore, quae vestimenta tua deprompta sunt *e domibus eburneis*, id est, e sacris repositoriis, iisque pretiosissimis, candidissimis et mundissimis, scilicet e visceribus b. Virginis. Sequitur: *ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*, id est, ex quibus aromatibus virtutum, *filiae regum*, sive animae regiae et excelsae, sive multitudines populorum ex variis regnis, *delectaverunt te*, dum currunt, in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines sanctorum excitationes et tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Ita Bellarminus.

11. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.* Prophetavit hactenus David de sponso, iam prophetat de sponsa, per quam intelligitur ecclesia. Possunt tamen etiam omnia quae dicuntur de sponsa accommodari unicuique animae perfectae, et potissimum B. V. Mariae; itaque non sine ratione hic psalmus canitur in festis b. V. et aliarum Virginum. Ait igitur David Christum, alloquens: *Astitit regina a dextris tuis*, id est, assistet sponsa tua, quae regina est, cum tu rex sis, et erit proxima tibi, et in loco summi honoris infra regalem thronum: assistet autem in veste pretiosa, qualis reginam decet; *in vestitu deaurato*, sive aurea chlamyde gratiae iustificantis et charitatis, *circumdata varietate* gemmarum, id est, omnis generis virtutum. Ita s. Hieron., s. Chrys., et alii. Porro *astitit* ponitur pro assistet, more prophetico, ut saepius dictum est. Observat autem hic s. Chrys., non dici *sedit* sed *astitit*, quia sedere convenit aequali, et ideo Filius sedet ad dexteram Patris: ecclesia autem, ut inferior, assistit cum coelestibus potestatibus, quae assistere dicuntur coram Deo.

12. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Alloquitur nunc ipsam ecclesiam, eamque fideliter ac pie monet. Vocat autem *filiam*, vel quia loquitur in persona Dei Patris, ut s. Hieronymus dicit, vel quia loquitur ut unus ex patribus Ecclesiae, ut dicit s. Augustinus *Audi filia*: id est, audi vocem sponsi *et vide*, id est, considera diligenter quae audis, *et inclina aurem tuam*, id est, humiliter obedias praeceptis eius, *et obliviscere populum tuum, etc.* ut facilius sponso servias, obliviscere mundum et quae in mundo sunt.

13. *Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Reddit rationem, cur debeat oblivisci mundum, quia videlicet sic fiet, ut rex concupiscat videre pulcritudinem tuam. Et quoniam vera sponsae pulchritudo interior est, ut infra dicitur, et in virtutibus et praecipue in obedientia mandatorum eius consistit; ideo addit, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, id est, ideo diliget pulchritudinem tuam, quae in obedientia posita est, *quoniam ipse est, etc.* Nihil enim magis requirit a servis dominus, neque Deus a creaturis quam obedientiam. Et ut intelligamus hunc sponsum esse Dominum absolute et Deum verum, addit, *et adorabunt eum*, id est, illi ab omnibus creaturis debetur adoratio.

14. *Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.* Quia dixerat et adorabunt eum, sponsum videlicet, addit, ipsam etiam sponsam ut reginam muneribus, ac supplicationibus honorandam. *Et filiae Tyri, etc.*, id est, et filiae gentilium, inimicorum antea sponsi tui, subiicientur imperio eius, et venient ad te, ac faciem tuam deprecabuntur, non solum precibus ver-

borum, sed etiam inuneribus. *Deprecari vultum* alicuius est phrasis hebraica, pro eo quod est, *deprecari* aliquem, *omnes divites plebis*, id est, quod dixi de filiabus Tyri, vel gentilium intellige potissimum de potentioribus, quales in primis divites esse solent.

15. *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quia David de pulcritudine et ornatu sponsae locutus est; ne quis forte putaret ea corporalia esse, occurrit hoc loco, dicens: *omnis gloria eius, etc.*, id est, ista omnia spiritualia sunt, interna sunt, in corde sunt. *In fimbriis aureis, etc.*, q. d. non tamen in solo animo stat decor illius, sed ab interna virtute promanat quoque magnus splendor exterius *in fimbriis*, id est, in opera externa, nempe in varias et pulcherrimas caeremonias, quibus et ipsa utitur, et in alios actus externos omnium virtutum, quos elicit. Ita fere s. Basilius.

16. *Adducentur regi virgines post eam, proximae eius afferentur tibi.* Quamvis unica sit sponsa Christi, id est ecclesia universalis, tamen post eam sunt etiam Christi sponsae, praecipua quadam praerogativa praeter ceteros fideles, illae animae quae in carne virginitatem suam Deo voverunt, et illi soli placere studuerunt, de quibus apostol. I. Corinth. c. vii. De his loquitur nunc propheta, et virginitatem, quae Christo mirifice placet, quippe qui nascitur inter lilia, his duobus versibus commendat. *Adducentur regi* Christo *virgines post eam*, id est, post principalem sponsam ecclesiam, adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi coelestis, omnes illae animae, quae virginitatem suam Deo dicarunt. *Proximae eius afferentur tibi*, id est, illae virgines solae afferentur tibi sponso, quae princi-

pali sponsae tuae ecclesiae proximae fuerint, id est, quae illi coniunctae atque unitae fuerint, quod dicitur, ut s. Basil., August., et alii patres exponunt ad haereticos et schismaticos excludendos: virginitas enim extra ecclesiam non habet sponsae praerogativam. Et quoniam diximus, quae in hoc psalmo leguntur de sponsa, posse intelligi etiam de B. V. matre Domini, quae virginum regina est: possunt etiam haec de illa exponi, ut sensus sit, adducendas esse ad Christum omnes veras virgines post eam, id est, post matrem Domini: et proximae eius, id est, quae illi per imitationem aeternae integritatis propinquant, afferendas esse ad nuptias eiusdem sponsi et regis Christi.

17. *Afferentur in laetitia et exultatione: adducentur in templum regis.* Id est, afferentur virgines ad nuptias cum magno plausu et iubilo totius coelestis Ierusalem. Fortassis notatur hoc loco canticum illud, quod soli virginum choro in coelesti regno cantare licet Apocal. c. xiv. Et cum hoc iubilo *adducentur in templum regis*, sive in coeleste tabernaculum, quod et palatium propter magnificentiam, et templum propter sanctitatem dici potest.

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram.* Quoniam monuerat propheta sponsam, ut oblivisceretur populi sui, et domus patris sui, id est, maiorum suorum: nunc eam consolatur, promittens copiam filiorum, loco patrum, quos reliquit, et simul praedicat fructum nuptiarum sponsi coelestis, et ecclesiae sponsae felicissimum fore. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, id est, pro patribus quos habuisti, id est, pro patriarchis et prophetis, et pro patribus quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci iussa es, *nati sunt tibi filii*, id est, apostoli et di-

scipuli Christi, qui tantae excellentiae erunt, ut toti orbi leges dare possint, ideo *constitues eos principes super omnem terram*. Vere enim apostoli, primi ecclesiae filii, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis monarcha facere potuit. Ita fere Origenes, Athanasius, Cyrillus, Basilius, et alii.

19. *Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generationem*. Concludit psalmum dicens, spirituales has nuptias in psalmo decantatas, et fructum nuptiarum non alium finem habiturum, nisi perpetuam Dei laudem. Nam *filiis istis*, qui patribus substituentur et successores eorum; *memores erunt nominis tui*, sive cantabunt potentiam et gratiam tuam *in omni generatione et generationem*. Notat hic s. Chrysostomus, Davidem prophetam, hoc etiam de carminum suorum aeternitate praevidissee et praedixisse, quod videlicet nullo unquam tempore ipsorum celebratio omittenda esset: quam prophetiam impletam esse, et quotidie impleri cernimus.

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi*. Ex eo, quod apostoli et eorum successores, semper memores futuri erunt nominis Domini, et laudes eius cantaturi; recte colligit propheta, id etiam futurum esse, ut populi fideles ab episcopis instituti confiteantur Domino laudes eius *usque in aeternum, etc.*, in hac et in altera vita: quamvis enim in patria cessabunt preces et lacrymae, tamen laudatio et glorificatio non cessabit.

PSALMUS XLV.

Synopsis

Ss. PP. magno consensu docent hunc psalmum intelligendum esse de liberatione Ecclesiae christianae a persecutionibus infidelium. Titulus est: In finem, filiis Core pro arcanis. id est, pro, vel de re, quae tempore Davidis occultissima erat, et nonnisi Deo revelante sciri poterat. Notandum est: hos filios Core (de quibus iam saepius mentio facta est) fuisse posteros Core, qui fuit cognatus Moysis et Aaronis, et cum Dathan et Abiron a terra vivus absorptus est. Hi ergo posteri Core, qui hic filii vocantur, tempore Davidis viventes, inter Levitas numerabantur, et sacris canticis praeficiebantur.

1. *Deus noster refugium et virtus: adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. Milites Christi non minus vincunt fugiendo tentationes, quam tolerando: quando fugiendum est, quando tolerandum est, Deus virtus et fortitudo est: utroque autem tempore est adiutor in tribulationibus: nam et adjuvat praebendo refugium, et adjuvat praestando victoriam. Illud autem quae invenerunt nos nimis, significat tribulationes gravissimas fuisse quae initio exortae sunt adversus ecclesiam; et repente ac inopinato irruisse.*

2. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. 3. Souerunt et turbatae sunt aquae eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Hi duo versus obscurissimi sunt, sed ss. Basilium et Chrysostomum sequimur. Igitur ex eo, quod dixit populus Dei, *Deus refugium et virtus*, infert, se impavidum fore, etiamsi terra et mare, sursum ac deorsum moveantur, etc. *Propterea*, inquit populus Dei, *non time-*

bimus, dum forte turbabitur terra, sive etiamsi maxime turbetur terra, et transferentur montes in cor maris, id est, etiamsi ipsi montes agitentur, fluctuent, et in profundum mare praecipitentur. Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum, id est, non timebimus, etiamsi ex translatione montium in cor maris resonent et turbentur aquae maris (dicitur eorum, id est marium, quia in graeco et hebraeo habetur, in cor marium) et conturbati sunt montes, id est, etiamsi ipsi montes translati de terra in mare conturbentur, amissa videlicet stabilitate sua, in fortitudine eius, id est, in potentia et robore Dei. Etiamsi ergo ista omnia fiant, nos tamen non timebimus, quia Deus est refugium nostrum et virtus. Possunt haec etiam figurate intelligi, ut per terram intelligantur homines terreni, per montes vero potentes et superbi, per mare autem amaritudo tribulationis et poenarum, quibus in novissimo die involventur omnes impii, iustis in magna constantia stantibus.

4. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* 5. *Deus in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Id est, non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, etc., quia non irruent in Ecclesiam fluctus maris amari, sed *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*, id est, fluminis aquae dulces et clarae magno impetu, magna videlicet copia et abundantia voluptatis laetificat eam. Et ideo laetificat civitatem suam Deus, quia *sanctificavit tabernaculum suum*, id est, quia eam elegit, eamque esse voluit propriam habitationem suam, uti habetur Apoc. xxi: *Deus in medio eius non commovebitur*: hoc opponitur instabilitati terrae et montium, q. d. non timebit civitas Dei, ne forte transferatur

In cor maris: nam *Deus est in medio eius*, id est, Deus non recedit ab ea, sed praesentissimus illi adest, utpote in medio, in intimis, et ideo ista civitas non commovebitur, sed aeterna stabilitate solidabitur. Ita Basilius, Didymus, Theodoretus, et alii. *Adiuvabit eam Deus mane diluculo*, id est, laetitia et stabilitas dabuntur civitati Dei, quoniam Deus adiuvabit eam in exortu diei, sive incipiente die felicitatis aeternae. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei aurorae, visionem Dei claritati diei. Rom. xiii, 2; II. Petri i, 19; Cantic. ii, 17; Malachiae, iv, 2, etc.

6. *Conturbatae sunt gentes et inclinata sunt regna; dedit vocem suam, mota est terra.* Praedicit verbis propriis, quod figuratis antea praedixerat, destructionem videlicet, inimicorum ecclesiae: *conturbatae sunt gentes*, quia propinquat interitus earum, *et inclinata sunt regna*, id est, deiecta ab altitudine sua, et usque ad terram prostrata. *Dedit vocem suam*, Deus videlicet intonuit de coelo, *et mota est terra*, id est, contremuit, vel liquefacta et desolata est terra. Quod autem hic dicitur de regnorum terrenorum destructione, praedictum fuit clarius a Daniele, c. ii, et explicatum ab Apostolo I. Cor. c. xv, 14-25.

7. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.* Duo argumenta proponuntur, quibus demonstratur, quod in his omnibus gentium ruinis, nihil timere debeat populus Dei, quia Dominus potentissimus, utpote *Dominus virtutum*, sive exercituum, huius populi adiutor est. Et deinde, quia hic idem Dominus non solum potest, sed etiam vult populum suum iuvare, cum dici velit *Deus Iacob*, id est, populi huius.

8. *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad fi-*

nem terrae. Id est, considerate *opera*, quae Deus ponet (nam praeteritum ponitur pro futuro, more prophetico) *super terram*, tam admiranda et stupenda, ut *prodigia* nominari possint. Ponet autem haec prodigia *auferens bella*, scilicet infidelium et tyrannorum contra ecclesiam, *usque ad finem terrae*, id est, per totum orbem, vex ex tota terra.

9. *Arcum conteret et confringet arma; et scutum comburet igni.* Deus videlicet omnia arma, quibus bella geruntur, destruet. Hos duos versus aliqui exponunt de pace temporali, quae fuit tempore Augusti vel Constantini: sed longe melius conveniunt in aeternam pacem, quae erit in fine saeculi, quando Ecclesia desinet esse militans, et incipiet esse triumphans, omnibus videlicet hostibus undique debellatis.

10. *Vacate et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* Ut magis persuadeat, quod ante dixerat: *Venite et videte opera Domini, etc.*, inducit Deum ipsum loquentem et exhortantem: *Vacate*, id est, otium sanctum quaerite, et animum purum et tranquillum afferte, *et videte*, attentissime cogitantes, *quoniam ego sum Deus* solus, sine quo nihil potestis et nihil estis, et in quo omnia potestis. *Exaltabor in gentibus, etc.* Ego cum mirabilia fecero, quae supra dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, et coram omni orbe terrarum. Nam in fine saeculi omnes vel volentes, vel inviti agnoscent supremum Dei imperium, illique subiicientur.

11. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.* Concludit psalmum repetendo versum 7, ut affectum piorum exhortatione Dei rursus excitatum, et renovatum fuisse demonstret.

PSALMUS XLVI.

Synopsis

Totus psalmus est de victoria et ascensione Christi. Ita Ss. Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii.

1. *Omnes gentes plaudite manibus: iubilare Deo in voce exultationis.* Invitat propheta omnes gentes, ut voce et gestibus laetitiam animi ostendant. Quod autem ad plaudendum manibus invitatur, ut recte s. Chrysostomus admonuit, non significat strepitum corporalem edendum, sed est locutio metaphorica, quae indicat gaudendum et laetandum esse, ut ii faciunt, qui prae gaudio exiliunt, et manibus strepitum, et voce clamores excitant. Caeterum hic pulcre observatur s. Augustinus illorum duntaxat gaudium Deo gratum esse, qui manibus plaudunt et voce exultant, id est, qui operibus bonis et voce laudis testantur, se in Domino gaudere.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.* Reddit rationem, cur omnes ad plaudendum invitaverit; ac primam rationem ducit a magnitudine Christi, quem dicit esse *excelsum*, ratione divinitatis, *terribilem* ratione potentiae, et *regem magnum* ratione providentiae et gubernationis.

3. *Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.* Alteram rationem ducit a beneficio, quod ecclesiae suae contulit, subiiciendo ei populos innumeros.

4. *Elegit nobis haereditatem suam: speciem Iacob, quam dilexit.* Tertiam rationem ducit ab alio beneficio, quo idem Deus Christus elegit sibi in peculiarem et propriam haereditatem, primitivam ec-

clesiam ex iudaeis, id est, apostolis caeterisque discipulis. *Elegit nobis*, id est, in nobis, sive ex nobis, *haereditatem suam*, populum videlicet peculiarem: *speciem Iacob quam dilexit*, id est, elegit pulcritudinem quandam eximiam populi iudaici, qui dicitur Iacob, quam pulcritudinem merito adamat. Observandum hic est, in populo iudaico fuisse quidem plurimos durae cervicis, et idololatriae addictos: sed fuisse etiam sanctissimos patriarchas, quorum spiritualem pulcritudinem fidei ac morum valde dilexit Deus, et propter hanc speciem Iacob elegit sibi haereditatem ex populo iudaeorum, cui postea adiunxit multitudinem gentium.

5. *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae.* Haec est quarta ratio, cur oporteat exultare, quia videlicet Dominus ascendit in coelum, et naturam nostram personae suae indissolubiliter unitam evexit supra omnes coelos, supra omnes angelos, et super omnes creaturas. Illud *in iubilo et in voce tubae*, potissimum de spirituali iubilo et sono angelorum intelligendum est.

6. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite.* 7. *Quoniam rex omnis terrae Deus: psallite sapienter.* Antequam subiungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum, et ad affectum suum significantum, iterum, iterumque repetit: *psallite Domino*, quia Deus noster est: *Psallite*, quia rex noster est; *psallite*, quia non solum Rex noster est, sed quia etiam *omnis terrae rex est*. Nec solum psallite frequenter, sed etiam *sapienter*, per quod significatur, ut Chrysostomus et Augustinus monent, ut qui psalmos canit, intelligat quod canit, et ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum. In qua re videtur non leviter peccari a qui-

busdam, qui officium canendi in ecclesia susceperunt. Videri potest s. Bernardus serm. 7 et 47 in Cantica.

8. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.* Quinta ratio hic ponitur, cur oporteat psallere et iubilare Deo, quia videlicet Christus, posteaquam in coelum ascendit, non contentus haereditate, quam sibi acquisivit ex populo Iudaeorum, *regnabit etiam super gentes*, dum per apostolorum praedicationem gentes omnes iugo fidei colla subiicient. Sed interim *sedet super sedem sanctam suam*, id est, sedet ad dexteram Patris, quae est sedes Dei sanctissima, id est, iustissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas.

9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt.* Declarat, quod dixit, *regnabit super gentes*, id enim futurum erat, quia per Apostolorum praedicationem *principes populorum*, cum ipsis populis suis fideles futuri erant, et dimissis diis patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi sunt. Quod autem sequitur: *Quoniam dii fortes terrae, etc.* varie a variis explicatur. Nos sequimur s. Chrysostomum, qui illud de apostolis exponit, per quos principes populorum ad Deum Abraham conversi sunt, ut sensus sit: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terrae*, id est, apostoli, *vehementer elevati sunt*, cum pleni fuerint donis sapientiae et fortitudinis et miraculorum, in tantam eminentiam, ut nulli principes populorum eis resistere potuerint.

PSALMUS XLVII.

Synopsis

Canit Hierosolymae (Ecclesiae Christi, uti PP. Latini, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus intelligunt) magnificentiam, felicitatem nobilissimasque victorias. Titulus (Psalmus Cantici filiis Core, secunda Sabbati) notus est ex iis, quae iam dicta sunt, exceptis illis verbis: secunda sabbati: id est feria secunda cantandus in templo Domini. Ita Ss. Hieronymus et Augustinus.

1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Laudaturus propheta aedificium, incipit a laude architecti. *Magnus Dominus*, omnia enim in eo infinita, aeterna et incomprehensibilia, et inde idem Dominus *laudabilis nimis*. Sed ex iis quae nobis revelata sunt, nihil fere maius habemus, unde Domini magnitudinem cognoscamus, et unde eum magis laudare debeamus, quam ecclesiae catholicae aedificationem: ideo dicit, *magnus et laudabilis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius*, id est, magnitudo Dei, unde laudandus est, valde conspicitur in ecclesiae fundatione et constructione, quae est civitas Dei nostri, quae in monte sancto, id est, in excelso perfectionis posita est. Huius aedificii miracula videri possunt apud Bellarminum hoc loco.

2. *Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni.* Explicat propheta, cur Deus sit valde laudabilis in ecclesia, quae significatur per montem Sion, et civitatem Ierusalem: quia scilicet *fundatur ecclesia cum exultatione universae terrae*, quoniam in universa terra fundatur ecclesia per evangelii praedicationem, quae praedicatio incredibilem laetitiam

spiritualem adfert illam recipientibus; ut legere est in Actis apostol., c. II, c. VIII, et c. XIII. Dicitur autem fundari *mons Sion*, ut intelligamus hic non agi de monte Sion corporali, ille enim fundatus fuit ab initio mundi, sed de monte spirituali cuius ille figura erat. Est igitur hoc loco *mons Sion* ecclesia Christi, sic dicta propter eminentiam doctrinae et perfectionem vitae. Eadem quoque ecclesia dicitur *latera Aquilonis*, quoniam sicut *mons Sion* situs est in terra promissionis ad partem borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido et furioso, qui dicitur *aquilo*; sic etiam ecclesia christiana est quasi murus oppositus *aquiloni* spirituali, id est; statibus spirituum immundorum, etc. Denique eadem ecclesia dicitur *civitas regis magni*, scilicet Christi, qui est *Rex regum* et *Dominus dominantium*.

3. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Id est, Deus, qui fundavit ecclesiam instar regiae civitatis, tunc potissimum *cognoscetur in domibus eius*, sive ab omnibus habitantibus in domibus eius: vel tum cognoscetur habitare in domibus eius, quando in tempore persecutionum *suscipiet eam* protegendam et exaltandam.

4. *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt: convenerunt in unum.* 5. *Ipsi videntes sic admirati sunt: conturbati sunt, commoti sunt; tremor apprehendi eos.* 6. *Ibi dolores ut parturientis: In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Iuxta expositionem ss. Ambrosii, Hieronymi et Augustini hic sensus est: Deus cognoscetur esse in ecclesia ex conversione gentilium. *Quoniam ecce reges terrae*, et populi eorum ex potentia verbi Dei, et virtute signorum et prodigiorum per verbi praedicatores patratorum conversi *congregati sunt et convenerunt in unum*,

id est, ex variis sectis et superstitionibus conveniunt in unitatem fidei; et congregati sunt in unam Ecclesiam. Conversio autem eorum sic fuit: quoniam *ipsi videntes* signa et prodigia, *sic admirati sunt*, et cognoscentes magnitudinem erroris sui, et peccatorum suorum, *conturbati sunt et commoti sunt* per veram poenitentiam: unde etiam *tremor apprehendit eos*, considerantes periculum aeternae damnationis, in quo tandiu fuerant. *Tremor* autem gravissimus erat, quales esse solent *dolores parturientis*, qui tamen in gaudium magnum desinunt. *In spiritu vehementi*, etc., id est, Spiritus s. hominem iustificatum inhabitans, et vehementi ardore caritatis inflammans *conteret naves Tharsis*, per quas superbia, luxuria et avaritia significatur: naves enim tumentibus velis per fluctuantes undas in Tharsis properantes aurum et argentum adducebant, III Reg. x et II Paralip. ix, tumor velorum superbiam, fluctuatio navis luxuriam, aurum et argentum avaritiam designant. Ita fere Bellarminus et Le Blanc laudatos PP. latinos secuti: graeci enim, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius et alii praedictos versus de gentilibus non conversis, sed oppugnantibus fidem exponunt. Utraque expositio vera est, et una cum altera non pugnat.

7. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum.* Verba sunt filiorum Ecclesiae, qui laetantur se experimento iam discere de Ecclesiae stabilitate, quod ante promissum audiverant: *sicut vidimus* a Prophetis praedictum, *sic vidimus* adimpletum in Ecclesia, quae est civitas Domini exercituum, qui est Deus noster. Quod autem audivimus et vidimus, est, quod *Deus fundavit eam in aeternum*, ut nullum sit periculum, ne unquam evertatur.

8. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.* Id est, hanc stabilitatem Ecclesiae, et alia bona innumerabilia, quae sicut audivimus promissa, ita nunc vidimus impleta, de tua manu accepimus. Fatemur igitur *in medio templi tui* (s. Augustinus legit, *in medio populi tui*), id est, publice et coram omnibus nos suscepimus misericordiam tuam, illi tribuimus omnia bona.

9. *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia plena est dextera tua.* Pergit in persona fidelium laudare Deum ob accepta beneficia, et sicut initio dixerat: *Magnus Dominus et laudabilis nimis*, ita nunc dicit: *secundum nomen tuum, etc.*, id est, secundum magnitudinem nominis tui, est etiam magnitudo laudis tuae. Haec est autem materia laudis: *iustitia plena est dextera tua.* Inde enim ubique laudatur Deus magnificentissimus praeconio omnium gentium, quoniam iustissime pios defendit et impios punivit. Dicitur *dextera Dei plena iustitia*, non, quod non sit etiam plena misericordia, sed quod nullum locum habeat apud eum iniustitia. *Iustus enim Dominus in omnibus operibus suis.*

10. *Laetetur mons Sion, et exultent filiae Iudae, propter iudicia tua, Domine.* Hortatur Propheta populum Dei ad exultandum, quoniam is populus prae caeteris novit per experientiam, hanc Domini iustitiam. *Laetetur mons Sion*, id est, populus, sive Ecclesia Dei, quae per eum montem significatur, *et exultent filiae Iudae*, non solum viri, sed etiam foeminae in populo Dei laetentur, *propter iudicia tua, Domine*, videntes scilicet iustitiam, quam exercuisti in protegendis fidelibus et perdendis infidelibus. Fortasse etiam per montem Sion intelligitur arx et caput religionis, qualis erat Ie-

rusalem apud iudaeos, et per filias Iudae intelliguntur reliqua membra Ecclesiae, qualia erant oppida subiecta Hierosolymae.

11. *Circumdate Sion et complectimini eam: narrate in turribus eius.* 12. *Ponite corda vestra in virtute eius: et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.* Hortatur in fine psalmi ad aedificationem et munitionem sanctae civitatis, de qua dixerat: *fundatur exultatione*, etc. Haec enim civitas non est similis materiali civitati, quae semel fundatur et aedificatur, sed usque ad finem mundi fundanda et aedificanda et munienda est, ex lapidibus vivis, qui quotidie inserendi sunt. Ait igitur: *Circumdate Sion, et complectimini eam*, id est, Muris cingite sanctam civitatem, ubi forte desunt. Dicuntur autem muri civitatis viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. *Narrate in turribus eius*, id est, in edito loco publice praedicate; nam praedicatio Evangelii est instrumentum quo civitas fundatur et aedificatur. *Ponite corda vestra in virtute eius*, id est, serie cogitate de munitione et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus: *et distribuite domos eius*, id est, post fundata et aedificata moenia, fundentur et aedificentur domus; et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos aedificent, et sic civitas paulatim repleatur et crescat: et sic fiet, *ut enarretis in progenie altera*, id est, ut per vos multiplicato populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei.

13. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum et in saeculum saeculi: ipse reget nos in saecula.* Hoc est, quod narrandum est posteris, quod videlicet hic Deus, qui fecit mirabilia in civitate sancta Ierusalem, ipse est Deus noster in aeternum,

nec unquam recedemus ab eo, nec ipse recedet a nobis: nos erimus in aeternum populus eius, et ipse nos reget in saecula. Exponunt quidem aliqui hunc psalmum de terrena Ierusalem, sed valde laborant in explicatione undecimi et duodecimi versus.

PSALMUS XLVIII.

Synopsis

Est adhortatio utilissima ad virtutem sectandam et fugienda vitia. Titulus nihil novi habet.

1. *Audite haec, omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.* 2. *Quique terrigenae et filii hominum: simul in unum dives et pauper.* Haec est praefatio ad captandam attentionem, quae sumitur ex eo, quod oratio habenda conveniat omnibus hominibus aequaliter, nec solum praesentibus sed etiam futuris: itaque convocatur omne genus humanum ad audiendum.

3. *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.* 4. *Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.* Haec est altera pars praefationis, in qua rursus praeparat auditorem ex dignitate materiae et ex dignitate docentis. *Os meum* inquit, *loquetur sapientiam*, id est, docebit ea, quae faciunt hominem sapientem, *et meditatio cordis mei loquetur prudentiam*, id est, meditatio cordis mei, quae per os foras erumpit, docebit ea, quae faciunt homines vere prudentes. Attingit deinde magnitudinem doctoris, q. d. non ego locuturus sum, sed Spiritus Domini per me loquetur. *Inclinabo in pa-*

rabolam aurem meam, id est, subiiciam aurem meam Spiritui s. loquenti, et obedienter audiam: et sic deinde *aperiam in psalterio propositionem meam*, mihi videlicet a Deo inspiratam et communicatam. Per *parabolam* hic intelligitur aenigma, id est, propositio obscura, quae attentionem et studium requirit, ut intelligatur. Quod autem additur *in psalterio*, sive cithara, pertinet etiam ad praeparationem auditorum: significat enim David se propositurum doctrinam suam gravissimam cum cantu et sono, ut praecepta utilissima iucundius et avidius percipiantur.

5. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Hoc est aenigma, quod toti humano generi propheta proponit et solvit. *Cur timebo in die mala?* q. d. Propono vobis hanc quaestionem solvendam: Quid est, quod me terrere faciet in die divini iudicii? Magnum profecto problema, et quod omnes omnino contingit. Solvit autem aenigma, cum dicit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, quod me timere faciet in illa die, non est paupertas, non humilitas generis, aut status, etc., nihil est aliud, nisi iniquitas, et non quaevis iniquitas, sed *iniquitas calcanei mei*, id est, iniquitas extremae vitae meae, iniquitas perseverans usque ad finem vitae: illa enim, si tunc inveniatur in me, *circumdabit me*, instar aggeris aut muri, ut nullo modo evadere possim, quia tunc non erit amplius locus poenitentiae, vel indulgentiae. Ita fere Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Bellarminus, Tirinus, Le Blanc et alii.

6. *Qui confidunt in virtute sua; et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Addit nunc multos esse, qui hoc, quod dixerat, non intelligentes, confidunt in viribus suis, ac per hoc gloriantur in divitiis suis; sed in die mala tales non amplius inve-

nientur, neque, si invenirentur, prodesse possent; ideo subiungit propheta :

7. *Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam.* Ostendit vanam esse fiduciam confidentium in divitiis. Ait enim *frater non redimit*, id est, nemo poterit quamlibet magnis divitiis in die mala redimere fratrem suum. *Redimet homo?* hoc legendum est cum interrogatione, ut s. Basilius monet, et sensus est: Frater non redimit, multo minus alius homo redimet. *Non dabit Deo placationem suam*, id est, neque alium, neque se ipse liberare poterit; quamvis enim pecuniis maximis abundet, et eas omnes offerat ad placandum in die mala, nihil ei proderit.

8. *Et pretium redemptionis animae suae; et laborabit in aeternum, et vivet adhuc in finem.* Declarat quod dixerat: *Non dabit Deo placationem*: placatio enim Dei est pretium redemptionis animae. *Et laborabit in aeternum, etc.*, id est, qui in divitiis suis confidunt, non solum non dabunt pretium redemptionis animae suae, sed laborabunt in tormentis cum divite epulone usque in aeternum, et vivent hic vitam voluptariam, quae illis sola videtur esse vita, usque in finem a Deo constitutum. Ita ex s. Augustino, Bellarmino et Le Blanc.

9. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes; simul insipiens et stultus peribunt.* Quia dixerat, impium victurum usque in finem, cursu videlicet naturali, addit confirmans idipsum: *Non videbit interitum, etc.*, id est, non morietur stultus confidens in divitiis ante tempus, cum viderit aliquos sapientes ante tempus morientes: tandem tamen simul cum sapientibus etiam stultus et insipiens ad vitae temporalis finem perveniet. Ita Bellarminus. Posset etiam dici: *Non videbit interitum, id*

est, non cogitabit, se quoque moriturum, quando sapientes viderit morientes, quae sententia sane verissima est: haec est enim caecitas humana, ut cum quotidie videamus morientes, nobis etiam meliores et iuniores, tamen vix adduci possimus, ut serio cogitemus, nos quoque morituros esse. Caeterum quid intersit inter stultum et insipientem, docet s. Basilius; dicit enim insipientem esse, qui ad humana et communia ineptus est, qui videlicet humana sapientia et prudentia caret: stultum autem vocari eum, qui caret notitia rerum divinarum, et solis terrenis intentus est.

10. *Et relinquent alienis divitias suas: et sepulcra eorum domus illorum in aeternum.* Probat huiusmodi homines confidentes in divitiis suis vere stultos esse, ut antea dixerat, et quomodo eos Christus Luc. xii vocat, quia divitiis uti nesciunt, easque relinquunt iis, quos ignorant. Addit, *et sepulcra eorum domus illorum in aeternum*, id est, ipsi quidem morientes reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinuerunt, nisi angustissimam domum, id est sepulcrum, in quo iacere debent *in aeternum*, id est, usque ad finem saeculi, uti saepius in Scripturis *aeternum* sumitur, et verbis sequentibus declaratur: *Tabernacula eorum in progenie et progenie*, quod enim vocaverat sepulcrum et domum aeternam, idipsum nunc vocat tabernaculum in progenie et progenie, id est, habitaculum, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes et generationes peragentur.

11. *Tabernacula eorum in progenie et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.* De priore parte dictum est: quod autem additur, significat, post mortem hominum insipientium, nihil superesse in terris, nisi forte nomina eorum: multis enim

modis conantur mortales, qui hanc solam vitam noverunt, nomina sua aeternitati commendare.

12. *Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Occasione insipientis, atque in divitiis confidentis, digreditur propheta ad ipsum genus humanum corrigendum, q. d. *Et sic homo cum in honore esset, etc.*, id est, homo terrenis curis intentus, ad imaginem Dei factum se non cognovit, nec tantam dignitatem suam satis attente perpendit. Hinc factum est, ut brutis, quibus non est intellectus, factus sit similis, praesentia tantum considerans et peritura de futuris, aeternisque non sollicitus.

13. *Haec viae illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacebunt.* Pergit deplorare miseriam generis humani: *haec via*, id est, haec vita, quam ducunt similem vitae brutorum, sive haec via, quam sequuntur, dum vivunt more bestiarum, *scandalum ipsis*, id est, offendicula multa illis praebet et ruinae magnae causa est illis, qui tamen *postea in ore suo complacebunt*, id est, placebunt ipsi sibi in sceleribus et gloriabuntur, cum male fecerint, quod ad summam miseriam et calamitatem pertinet. Ita s. Chrysostomus et alii.

14. *Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos.* Id est, sed dum inaniter se iactant, *sicut oves* brutae ad macellum ultro, et gregatim cursitantes, in infernale stabulum coguntur maximo numero. Ibi *mors depascet eos*, id est, pabulum erunt morti et gehennae aeternum. Ita s. Basilius, Athanasius, Eusebius, Chrysostomus et Augustinus, qui legit *mors pastor erit eis*, quia scilicet Christi boni pastoris oves esse noluerunt.

15. *Et dominabuntur eorum iusti in matutino;*

et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. Pergit narrare miseriam impiorum ad infernum descendentium; ac dicit, eos *in matutino*, id est, in principio novi et futuri saeculi; quod incipiet in resurrectione universali, futuros omnino subiectos iustis, qui et iudices eorum erunt, eisque in aeternum dominabuntur; et nihil erit quod impios tunc iuvare possit; omne enim *auxilium eorum*, quod in robore et potestate situm erat, *veterascet*, id est, deficiet, peribit, et nullum erit in inferno, *a gloria eorum*, id est, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habebant. Ita Athanasius, Cyrillus, Tirinus, Bellarminus, Le Blanc et alii.

16. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* Addit nunc, quae sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit; quasi dicat, impiis quidem accidet id, quod dixi: verum mihi, meique similibus contrarium eveniet; Deus enim *redimet animam meam*, etc., id est, Deus liberabit me, ne ab inferno detinear, quando veniens assumet me.

17. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo; et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* 18. *Quoniam cum interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria eius.* Alloquitur iustos pauperes, atque a divitibus oppressos, *ne timueris, cum dives*, etc., id est, ne formides potentiam eius, ne ob timorem temporalis potentiae forte offendas aeternam omnipotentiam Creatoris: neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam *multiplicatam gloriam domus eius*, per numerosam familiam et multiplices dignitates propinquorum eius: *quoniam cum interierit*, per mortem videlicet, *non sumet omnia*, est hebraismus, pro nihil secum hinc auferet: *neque de-*

scendet cum eo gloria eius, id est, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiae et gloria impiorum ad brevissimum tempus durant; paupertas et confusio sempiterna sunt; contra vero paupertas et confusio piorum momentanea sunt, opes et gloria manet in saeculum saeculi.

19. *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur; confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Reddit rationem dictorum, quia *anima eius in vita ipsius benedicetur*, id est, anima impii, sive ipse impius in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. *Confitebitur tibi*, id est, et ipse vicissim confitebitur tibi, sive laudabit te, tibi que gratias aget, *cum benefeceris ei*; sin autem aliquid mali ei evenire permiseris, continuo blasphemabit te: adeoque hoc *benefeceris*, et illud *tibi*, referri debet ad Deum. Ita Bellarminus et Le Blanc.

20. *Introibit usque in progenies patrum suorum: et usque in aeternum non videbit lumen.* Impius in hac vita in luce honorum et gloriae vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera eius, vel alliciat ad resipiscentiam et conversionem, sed tandem ibit ad progenitores patres suos, quos in sceleribus imitatus est, id est, ibit in infernum, ubi nullum lumen, sed densissimae tenebrae in aeternum.

21. *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Repetit versum 12, tum ut ostendat praecipuam causam miseriae hominum esse insipientiam; et merito homines plurimos in aeternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, qui

noluerunt uti lumine rationis; tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino aenigma propositum in hoc psalmo intelligant, id enim accidit, quia homo propter peccatum *comparatus est iumentis, et similis factus est illis.*

PSALMUS XLIX.

Synopsis

Describitur duplex Domini adventus, unus ad praedicandum, alter ad iudicandum, unus occultus et in humilitate, alter manifestus et in maiestate. Additur, quibus de rebus potissimum reddituri sinus rationem in die iudicii: proinde psalmus utilissimus est. Ad titulum quod attinet (Psalmus Asaph), sciendum est, Asaph fuisse principem cantorum a Davide constitutum, 1. Paralip. xvi. Utrum autem ipse psalmos, qui inscribuntur nomini eius, composuerit, an solum cecinerit, aut cantantibus praefuerit, incertum esse docet Bellarminus.

1. *Deus deorum Dominus locutus est; et vocavit terram.* Incipit a primo adventu, ac dicit, Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora prophetarum antea loquebatur, et ad concionem suam vocasse omnem terram, id est, omnes inhabitantes eam. Dicitur autem *Dominus Deus deorum*, ut intelligamus Christum verum Deum esse: multi enim sunt dii vel per errorem, ut dii gentium, qui daemonia sunt; vel per gratiam adoptionis, ut sancti angeli et sancti homines; vel per similitudinem, ut principes et iudices terrae; sed omnes isti dii subiecti sunt Christo, uni et soli Deo vero, qui ideo dicitur *Deus deorum.*

2. *A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species*

decoris eius. Scilicet vocavit terram, id est, omnes homines, qui habitant terram a principio, ubi sol oritur, usque ad finem, ubi sol occidit. *Ex Sion species decoris eius*, id est, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, ex Sion enim orta est praedicationis evangelica, quae est species decoris eius, sive perfecti decoris, nam *species decoris*, significat speciem pulcherrimam, sive perfectam pulcritudinem.

3. *Deus manifeste veniet: Deus noster et non silebit*. Hic iam praedicit alterum adventum, q. d. Deus deorum veniet et vocabit terram; sed occulte venit, quia in forma servi, in humilitate, in mansuetudine, etc.; sed postea *manifeste veniet*, in potestate et maiestate magna. *Et non silebit*, sicut in primo adventu, cum ut agnus ductus ad occisionem non aperuit os suum; sed veniet cum tuba et clamore horribili. Matthaeus c. xxiv et xxv, item I. Thessal. iv et I. Cor. xv.

4. *Ignis in conspectu eius exardescet; et in circuitu eius tempestas valida*. Haec accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, II. Petri 3. Sensus igitur est: *Ignis in conspectu eius exardescet*, qui exuret omnia quae in terris inveniet, *et in circuitu eius tempestas valida*, id est, commotio maxima ex omni parte terrae. Ita Hieronymus, Augustinus etc.

5. *Advocabit coelum desursum et terram, discernere populum suum*. Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt: aderunt ergo omnes angeli et omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem terram incoluerunt. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, *discernere populum suum*, id est, ad iudicandum populum suum, et separandos electos a reprobis. Matthaeus c. xiii et xxv.

6. *Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Alloquitur angelos: *Congregate illi sanctos eius*, id est, adducite ad iudicium fideles (qui enim non credunt, iam iudicati sunt. Ioannis III), sive populum Dei peculiarem, quem sibi per sacramenta sanctificavit; quod enim id per angelos faciendum sit, perspicuum est ex Matthaei c. XIII et XXIV. Quod sequitur: *qui ordinant*, etc., clarius sic habetur in textu hebraeo: *qui feriunt pactum eius super sacrificia*, et est declaratio vocis sanctorum; illi enim dicuntur sancti, qui ordinant testamentum super sacrificia, sive qui pactum feriunt cum Deo super sacrificiis, id est, super cultu divino, qui praecipue in sacrificiis offerendis consistit. Sensus igitur brevissime est, congregandos esse ad iudicium sanctos Dei, sive homines Deo dicatos.

7. *Et annuntiabunt coeli iustitiam eius; quoniam Deus iudex est.* Congregatis omnibus ad iudicium, tum demum *annuntiabunt coeli*, etc. id est, de coelo proferetur sententia in bonos et malos, et inde apparebit omnibus, quanta sit iustitia Dei, quae nunc saepe non apparet, cum permittente Deo iusti opprimantur ab impiis. Neque poterit esse falsa haec coeli annuntiatio, *quoniam Deus iudex est*, id est, quoniam qui iudicabit, Deus est, in quem iniustitia cadere non potest.

8. *Audi, populus meus, et loquar: Israël, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.* Docet, quae sit futura materia iudicii, et ut admonitio maiorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne monentem inducit. *Audi*, inquit Deus, *populus meus. et loquar*: explicat deinde clarius, dum addit *Israël, et testificabor tibi*, id est: *Audi, populus meus Israël, et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod*

tua maxime interest. Per Israëlem autem intelligitur etiam populus christianus, ut alibi dictum est. Quod sequitur: *Deus, Deus tuus ego sum*, est ratio, cur nos oporteat audire, quia videlicet, qui loquitur est Deus, et peculiariter Deus noster.

9. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Summa doctrinae divinae est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi haec illi praecipue placeant; sed requirere internas virtutes, fidem, spem, dilectionem, obedientiam, propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Sensus igitur est, non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo. Illud autem hic ponitur pro enim.

10. *Non accipiam de domo tua vitulos; neque de gregibus tuis hircos.* 11. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum, iumenta in montibus et boves.* 12. *Cognovi omnia volatilia coeli; et pulcritudo agri mecum est.* Haec est altera ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium dominus. *Non accipiam de domo tua*, etc., id est, non opus est mihi, si velim vitulos aut hircos, ut illos a te petam. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum*, etc., id est, mea sunt omnia animantia sylvestria, et omnia animalia quae pascuntur in montibus. *Cognovi omnia volatilia coeli*, id est, omnes volucres quas ego novi, ubi sint, et ad quid prosint, *et pulcritudo agri mecum est*, id est, quidquid in agris pulcrum est, in mea potestate est.

13. *Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terrae, et plenitudo eius.* 14. *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* Haec est tertia ratio, cur Deus non requirat

munera propter suam necessitatem vel utilitatem, quia videlicet non esurit, neque sitit, neque ulla re indiget; et si indigeret, omnia illi praesto sunt, quia dominus est omnium rerum. — | —

15. *Immola Deo sacrificium laudis; et redde Altissimo vota tua.* 16. *Et invoca me in die tribulationis: eruam te; et honorificabis me.* Docet in internis actibus virtutum potius consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in ultimo iudicio securos praestare poterit: *Immola Deo*, etc., id est, potius sollicitus sis, ut ex intima cognitione et amore Deum laudes. *Et redde Altissimo vota tua*, fidelitatem scilicet et cultum Deo promissum, redde tributum obedientiae, quod est praecipuum votum inter omnia vota, et generaliter quidquid alias Deo vovisti, inquit Chrysostomus. *Invoca me in die tribulationis*, id est: sicut in die prosperitatis agnoscere debes, omnia bona tua a me fonte bonorum omnium descendere; sic etiam in die tribulationis ad me confugere debes, et in me spem tuam totam collocare; ego enim *eruem te* de omni tribulatione, et tu vicissim *honorificabis me* sacrificio laudis, et gratiarum actionis.

17. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Post instructionem iustorum, pergit psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. *Peccatori dixit Deus*, id est, peccatorem per me admonitum voluit Deus, *quare tu enarras*, etc., id est, quare profiteris te scire legem meam, ut enarres praecepta mea, in quibus omnis iustitia continetur; et profiteris etiam ad te pertinere testamentum sive pactum meum, dum te filium Abrahae esse gloriaris: cum neque legem meam serves, neque pactum custodias, etc.

18. *Tu vero odisti disciplinam; et proiecisti sermones meos retrorsum.* Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus enumerat peccata operis et oris. *Tu vero odisti disciplinam*, id est, aversaris animo eruditionem divinae legis, *et proiecisti*, etc., id est, et factus es, quasi oblitus esses praecepta mea, eaque post tergum haberes.

19. *Si videbas furem, currebas cum eo; et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ex oblivione et odio divinae legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta, adulteria, etc.; sunt autem peccata frequentissima, quae ex avaritia et luxuria oriuntur, ideo horum duorum meminit propheta.

20. *Os tuum abundavit malitia; et lingua tua concinnabat dolos.* Transit ad peccata oris. *Lingua tua concinnabat dolos*, id est, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis et mendaciorum.

21. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum: Haec fecisti, et tacui.* Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extraneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, etc., id est, non obiter vel per iram tantum, sed sedens otiosus, et studiose detrahebas fratri et adversus eundem scandalum ponebas calumnias struendo, unde ille offenderetur, et ruinae occasionem haberet. *Haec fecisti et tacui*: Haec omnia videt Deus, et nunc tacet ac si non videret; sed veniet dies iudicii, in quo, ut supra dictum est, *Deus manifeste veniet, et non silebit*, et hoc idem subiungit, cum ait:

22. *Existimasti, inique, quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Dum sine timore peccant impii videntur existimare, Deo non

displicere peccata, sed in die iudicii arguet eos Deus, et statuet contra faciem peccata eorum, id est, faciet, ut videant gravitatem et multitudinem peccatorum suorum, et negare non possint, sententiam contra se latam esse iustissimam.

23. *Intelligite haec, qui obliviscimini Deum; ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.* Haec exhortatio est prophetae ad impios, qui obliviscuntur, Deum esse iudicem iustum et omnipotentem: ut intelligant, attenta consideratione recogitantes quae dicta sunt. *Nequando Deus rapiat* eos, dum nihil minus cogitant, et ad iudicium adducat, et pro meritis damnet, et non sit qui de manu eius eripere possit.

24. *Sacrificium laudis honorificabit me; et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Concludit Deus verba sua, docens, viam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die iudicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium iugiter obtulerint; illi reprobi et condemnandi, qui hoc sacrificium neglexerint. *Sacrificium laudis*, etc., id est, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit, nam ab eo me glorificatum esse confitebor; *et illic*, id est, in eo sacrificio, *iter* erit ad salutem; nam per illud iter perveniet ad locum in quo *ostendam illi salutare Dei*, divinam videlicet, plenam, atque perfectam salutem. Quaeri hic potest, unde sit, quod summa salutis ponatur in oblatione sacrificii laudis? Et respondet s. Augustinus ex eo esse, quod nemo vere laudat Deum, nisi pius sit; impii enim, si verbis laudant, vita non laudant, ac per hoc non vere laudant, cum verbis eorum vita contradicat.

PSALMUS L.

Synopsis

Poenitens rex David adullerium et homicidium sibi remitti obsecrat: qua occasione compositus sit psalmus, docet eius titulus: In finem Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee. Id est, quando Nathan intravit ad Davidem ex occasione, quia intraverat David ad alienam coniugem nomine Bethsabeam.

1. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Incipit ab oratione, qua remissionem peccati petit: et simul explicat primam rationem, qua Deum movere posse credit ad indulgendum; alias rationes deinde explicaturus. Ait igitur: *Miserere mei, Deus:* miserum se agnoscit, et confitetur ob iniquitatem admissam. *Secundum magnam misericordiam tuam,* q. d. Ideo misericordiam tuam implorare audeo, quia miser sum; misericordia enim miseriam respicit, ut eam tollat. Vocatur autem *magna misericordia,* qua peccata remittuntur, tum quia peccatum magna miseria est, tum, quia comparatione huius misericordiae, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus temporalia bona tribuere solet.

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Idem declarat et repetit, petitque ut Deus non agat secum ex rigore iustitiae; sed ex paterna misericordia remittat debitum peccati, et lavet maculam restituendo nitorem gratiae. Sciebat David ex actione peccati relinqui in anima reatum mortis aeternae, qui scribitur in conscientia: et maculam privationis gratiae, quae reddit animam deformem et invisam Deo: ad utrum-

que scilicet ad reatum, et ad maculam peccatorum refertur vocabulum delendi.

3. *Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.* q. d. Abluisti me a culpa et a poena mortis. II. Reg. XII. Sed restant adhuc aliae peccati poenae, aliique effectus et reliquiae: ab his etiam libera me. Ita Chrysostomus et Theodoretus, vel ut Bellarminus habet: Si macula peccati mei levis esset, sufficeret simplex ablutio; sed quia macula ingens et multiplex est, ideo multum, amplius, atque amplius lavari desidero, ut tantae maculae vestigium nullum supersit.

4. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.* Haec est secunda ratio, unde persuadere Deo conatur, ut indulgeat, *quoniam ego, etc.*, id est, non excuso, non nego; nec solum agnosco, sed perpetuo de illo cum dolore animi cogito; nam *peccatum meum contra me est semper*, id est coram me, in conspectu meo positum.

5. *Tibi soli peccavi et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.* Haec est tertia ratio, quoniam non alium iudicem timet. *Tibi, inquit, soli peccavi*, non dicit contra te solum peccavi; peccaverat enim etiam contra Uriam homicidio, contra Bethsabeam adulterio, contra populum scandalo; sed dicit *tibi soli peccavi*, nimirum ut iudici, apud quem solum convinci poterat: *et malum coram te feci*: quamvis enim David occulte peccaverat, tamen oculos Dei excludere non potuit: *ut iustificeris in sermonibus tuis*, hoc referendum esse videtur ad supra dicta, *Miserere, etc. amplius lava me, etc.* q. d. Etsi gravissime in te peccaverim, rogo tamen mihi parcere digneris, et quae olim promisisti, reipsa complere velis; sic enim fiet,

ut iustificeris in sermonibus tuis, id est, ut declareris palam iustus et verax esse in promissis tuis, quibus tum generatim omni poenitenti veniam, tum speciatim mihi Davidi regnum perpetuum in posteris, et Messiam ex me procreando, ultro promisisti: et sic simul vincas, id est, reipsa evertas iudicia aemulorum tuorum, qui temere et audacter iactant, te ob tanta mea scelera nunquam mihi parciturum, nec promissa exsoluturum. Ita s. Thomas, Pererius, Toletanus, Genebrardus, obscuram hanc sententiam exponunt. Bellarminus et Le Blanc connectunt haec verba, *ut iustificeris, etc.*; cum illis: *tibi soli peccavi, etc.*, ut sensus sit: Confiteor me iniustum, ut iustus et verax inveniaris *in sermonibus tuis*, quibus per Nathan prophetam me adulterii et homicidii reum pronuntiasti. *Et vincas cum iudicaris*, q. d. et si iudicium inter te et me instituitur, tu omnino vincas causam, et ego causa cadam, cum mecum iudicaris.

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.* Quarta ratio ducitur a prima origine et primi hominis peccato in nos transfuso per generationem, ex quo facti sumus infirmi, et proclives ad peccandum, et ob hanc quasi naturalem miseriam misericordia digni sumus. *In iniquitatibus et peccatis*, pro iniquitate et peccato scilicet originali, quod aliorum deinceps actualium origo est et causa. Ita Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius, et alii.

7. *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Haec est quinta ratio, quae ducitur a veritate et simplicitate cordis, quae semper fuit in Davide, et quam Deus maxime diligere solet, propter quam etiam Deus, qui veritas est, Davidi multa mysteria futura reve-

lavit. *Ecce, inquit, veritatem dilexisti, etc.*, id est, quia veritatem amas, et in me veritatem et rectitudinem cordis invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria secretissima et occultissima, quae signa sunt infinitae sapientiae tuae. Ita Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus. Illud *incerta* non significat mysteria divina esse incerta, id est, dubia in se; sed incerta et dubia nobis, quomodo dicimus, incertus est hominibus dies iudicii.

8. *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor.* q. d. Quoniam leprosi instar, putida me peccatorum sanie pollutum video, tu, Domine, velut hyssopo gratia tua animam meam asperge, et statim mundus ero ab omni sorde, atque in oculis tuis et angelorum nive candidior apparebo. Ita Le Blanc.

Hic observandum est, quod Levit. xiv et Numer. xix praescribitur, ut aspersione hyssopi sanguine tincti eluatur macula legalis: quo David videtur alludere. Allegorice, aspersione sanguinis Christi remittuntur peccata, inquit Eusebius et Theodoretus.

9. *Auditui meo dabis gaudium et laetitia: et exultabunt ossa humiliata.* Effectus et signum perfectae iustificationis est, cum Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium aliquando in se expertus propheta, iterum illud petit, dicens: *Auditui meo, etc.* q. d. audire me facies internam vocem Spiritus s., qui me gaudio laetitiaque perfundet. *Et exultabunt, etc.*, id est, et tunc animus spiritu timoris contractus et dissolutus, resumptis viribus, exultabit. Per ossa intelliguntur vires animi, non ossa corporea; nam et paulo post dicitur: Cor contritum et humiliatum non despicias.

10. *Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.* Petit, ne Deus consideret

peccata sua, ut ea puniat, et ut non solum ad tempus non puniat, sed nunquam omnino puniat; qui enim avertit faciem a scriptura aliqua, potest iterum convertere faciem, et considerare quod scriptum est, sed qui scripturam delevit, non potest amplius legere: hinc addit: *et iniquitates dele.*

11. *Cor mundum crea in me Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Petit, ut Deus non solum peccata deleat, sed etiam iustitiam infundat, quae animam renovet, et formosam reddat; quod est contra haereticos, qui iustificationem in sola peccatorum remissione constituunt. *Cor mundum crea in me Deus;* id est, crea munditiam in corde meo; et satis proprie dicit *crea*, quoniam nihil invenit Deus in corde peccatoris, unde munditiam in illo efficiat, sed ex magna misericordia sua sine ullis meritis homines iustificat: nam etiamsi disponantur peccatores per fidem et poenitentiam ad iustificationem, tamen haec et alia omnia Dei dona sunt. *Et spiritum rectum, etc.,* est explicatio verborum praecedentium. Per *viscera* intelliguntur interiora animi, id est, voluntas ipsa, quae ante *cor* dicta est. Per *spiritum rectum* intelligitur recta affectio, quae nihil aliud est nisi charitas; per cupiditatem enim affectus cordis curvatus et distortus efficitur, inquit s. Athanasius dum convertitur ad inferiora, ac praecipue ad se ipsum; sed per charitatem dirigitur, dum convertitur ad superna et ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam, renovatur in anima pia affectio in Deum, quae per peccatum amissa erat, et in cuius locum cupiditas distorta successerat.

12. *Ne proicias me a facie tua; et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Hic iam perseveran-

tiam postulat, memor fragilitatis suae, ne forte per gratiam erectus, iterum labi contingat. Dicitur in Scriptura *proiici a facie Dei* qui dimittitur ac deseritur, non amplius recipiendus in gratiam. I. Reg. c. xvi: II. Reg. c. vii: IV. Reg. c. xxiv. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*; id est, donum perseverantiae mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus s. iugiter in me manens, spiritum rectum in visceribus meis conservet.

13. *Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.* Respondet hic versus illis verbis: *Auditui meo dabis gaudium et laetitiam*, et sensus est: Per peccatum amisi gratiam et laetitiam consequentem, ideo sicut petii reddi mihi gratiam amissam, ita consequenter peto reddi laetitiam salutaris tui, id est, laetitiam quae nascitur ex donata a te mihi salute. Ac ne forte laetitia extollat, et periculosam securitatem inducat, peto ut stabilias et confirmes me in bono per *spiritum principalem*, id est, potentem, ut Hieronymus habet, vel, qui principem et regem decet, ut ex hebraeo et graeco verti potest.

14. *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Exponit fructum iustificationis suae, quae redundabit in gloriam Dei, et multorum utilitatem. Ego, inquit, a te receptus in gratiam post tam graves offensiones, *docebo* et verbo, et exemplo *vias tuas*, misericordiam videlicet et iustitiam; et inde sequetur, ut impii exemplo meo edocti ad te convertantur.

15. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea iustitiam tuam.* Nunc orat pro liberatione a poena, sive a vindicta, quam expetebat sanguis Uriae occasione adulterii profusus, et pronittit se exultaturum, id est, laudaturum

cum exultatione iustitiam Dei: nam liberatio et salvatio vera per meritum Christi praevisi fiebat, ut nunc fit per meritum Christi reipsa exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissime iustitiam continet, et talem, ut toto corde et maxima vocis contentione laudari mereatur. Porro 3. Augustinus rationem reddit, cur dicat *de sanguinibus*, et non potius de sanguine, quia scilicet numerus multitudinis in hebraeo ponitur ad significandam magnam effusionem sanguinis.

16. *Domine, labia mea aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.* Hoc sequitur ex perfecta iustificatione et liberatione peccatoris, ut labia solita laudare Deum, quae per peccatum clausa fuerant, iterum per indulgentiam aperiantur ad gratiarum actionem et laudem tanti Redemptoris.

17. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* q. d. *Os meum annuntiabit laudem tuam*, quoniam sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis animantium brutorum: nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Dicuntur autem haec sacrificia non placere Deo, scilicet ex seipsis, quasi mactatio pecorum ex se sit opus Deo gratum. Item dicuntur non placere, si conferantur cum sacrificio eucharistiae, vel quando offeruntur a peccatoribus, vel denique non placent ad expianda peccata. Sacrificium laudis Deo gratum est, quoniam in ara cordis igne charitatis succenditur.

18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.* Explicat clarius, quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde contrito et humiliato procedit. *Spiritus contribulatus*, idem est, quod *cor contritum*; dicitur enim *spiritus contribulatus*, anima

dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita, ob peccatum commissum: sic etiam cor contritum dicitur anima ex dolore concepto quasi scissa, et in pulverem redacta, non amplius retinens lapideam durtiem et resistentiam. Haec contritio spiritus est gratissimum Deo sacrificium; quia quemadmodum Deus peccatis offenditur, ita poenitentia placatur.

19. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Ierusalem.* Haec est ultima ratio qua David utitur ad placandum Deum, et impetrandam perfectam iustificationem et reparationem post tam gravem lapsum. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion*, id est, si ego dignus non sum qui exaudiar, respice civitatem, cuius ego caput sum, et illi benefac sanando caput illius, *in bona voluntate tua*, id est, iuxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem specialiter eligere tibi, *ut aedificentur muri Ierusalem*, id est, ut sic muri Ierusalem, qui corruerunt, iterum aedificentur. Vocat muros Ierusalem se ipsum, qui instar murorum totum populum custodiebat et defendebat. Hac metaphora etiam de Christo rege utuntur Isai. xxvi et Ierem. xv.

20. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.* Effectus iustificationis sunt opera iustitiae, quae placent Deo, ut vera sacrificia spiritualia, ad Hebr. xiii; I. Petr. ii. *Tunc*, id est, cum ego perfecte reparatus et iustificatus fuero, *acceptabis sacrificium iustitiae*, bona videlicet opera mea, et populi mei, *quae oblationes spirituales et holocausta spiritualia erunt.* *Tunc imponent, etc.*, id est, accurrent multi, et certatim imponent super altare tuum non quaecumque sacrificia, sed opima, quae per vitulos significantur. Vitulos super altare impo-

nere, nihil est aliud, inquit Bellarminus, nisi opera iustitiae perfecta Deo offerre. Caeterum s. Augustinus hos versus de aedificatione coelestis Ierusalem, Theodoretus et Euthymius de aedificatione ecclesiae christianae mystice exponunt.

PSALMUS LI.

Synopsis

David increpat Doëg Idumaeum, qui se, et Achimelech sacerdotem calumniatus est apud regem Saul; patet ex titulo: In finem, intellectus David, cum venit Doëg Idumaeus, et nuntiavit Sauli, Venit David in domum Achimelech. Videri potest l. i. Reg. c. xxii. Allegorice David est Christus, Doëg Iudaei, et tropologice quivis persecutor.

1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Orditur David ab interrogatione, ut efficiatior sit reprehensio. Gloriabatur autem Doëg Idumaeus, quod accusatione sua perdidisset sacerdotem Domini et omnem familiam eius. Saul enim, cum audivisset ab isto Doëg, Davidem fuisse receptum hospitio ab Achimelech sacerdote, in tantam iram exarsit, ut non solum occidi iusserit ab ipso Doëg sacerdotem Achimelech, sed etiam 85 alios sacerdotes, qui erant cum eo; et deinde percussit in ore gladii civitatem sacerdotalem, occidens omnes viros et mulieres, parvulos et lactantes, etc. Ecce quanta mala nata sunt ex calumniatore illo, ut verè dictus sit *potens in iniquitate*.

2. *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.* Quasi dicat, assidue cogitabas, quomodo iniuste deferres, et tandem ob-

[ata occasione lingua tua peperit, quod diu ante parturiebat. Porro paucissimis verbis Doëg Idumaeus persuasit Sauli, Achimelech sacerdotem cum Davide coniurasse, qui fuit dolus et impostura gravissima: ait igitur, *sicut novacula acuta fecisti dolum*, id est, sicut novacula acuta facillime scindit capillos, ita tu facillime Saulem decepisti. Potest etiam per *dolum* intelligi dolosa et fraudulenta occisio sacerdotum.

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quam loqui aequitatem.* Declarat ex qua radice prodierit illa calumniosa delatio: ac dicit, illam non prodierit ex ignorantia, vel casu aliquo, sed ex mala voluntate ipsius, qui dilexit semper malum potius quam bonum, et mendacium potius quam veritatem. At non videtur Doëg mendacium aliquod protulisse, cum ait: *Venit David in domum Achimelech*: Respondendum est, mendacium fuisse in verbis illis iuxta intentionem dicentis et audientis: ipse enim significare voluit, Achimelech fuisse socium coniurationis David, et in eo sensu accepta sunt verba eius a rege Saul.

4. *Dilexisti omnia verba praecipitationis, lingua dolosa.* Id est, concinnasti nuntia pernicioosa, quibus totam familiam pontificiam praecipites in exitium.

5. *Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo; et radicem tuam de terra viventium.* Praedicit, non fore impunitum peccatum Doëg Idumaei. *Propterea Deus destruet te in finem*, id est, propter hoc tuum peccatum Deus te radicitus destruet, *evellet enim te, et emigrabit te de tabernaculo tuo*, id est, migrare te faciet de tabernaculo tuo, et sic exul et vagabundus errabis, *et radicem tuam de terra viventium*, id est, te cum omni posteritate tua de terra eradicabit.

6. *Videbunt iusti et timebunt, et super eum ridebunt et dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.* 7. *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et praevaluit in vanitate sua.* Ex poena impii delatoris id sequetur, ut multi erudiantur. *Videbunt iusti et timebunt*, id est, casum suum considerabunt viri iusti et cordati, et horrebunt. *Et super eum ridebunt dicentes: Ecce homo, etc.*, id est, et illum irridebunt, quod stultissime egerit, cum in Deo qui potentissimus est, sperare noluerit, et in divitiis fragilibus, quae facile amittuntur, spem suam posuerit. *Et praevaluit in vanitate sua*, id est, eundem irridebunt, quod praevalere studuerit, non in vero robore veraque virtute, sed in insidiis et mendaciis vanitate plenissimis.

8. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi*, q. d. Ego autem instar vivae olivae fixus spe in Deo, quasi radice, quamvis iam tuis, o Doëg, et aliorum hostium calumniis obrutus et extinctus videar; tamen ubi tempus advenerit, iterum frondebo, florebo, fructificabo, etc. Hic David mire opponit se Doëg Idumaeo; illum comparat ligno arido, se vero olivae virenti: illum dicit evellendum, etiam de tabernaculo suo, se dicit radicans in domo Dei; illum dicit sperasse in divitiis suis, se autem in misericordia Dei.

9. *Confitebor tibi in saeculum, quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Gratias agit pro re futura, quasi iam praeterita. *Confitebor tibi in saeculum*, sive te semper laudabo, quia fecisti iudicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes et destrueres, sperantem in te consolaberis et aedificares. *Expectabo nomen tuum*, id est, et semper deinceps

sperabo in te, *quoniam bonum est, etc.*, id est, merito sperabo in nomine tuo, quoniam nomen tuum dulce est sanctis tuis qui te recta fide norunt.

PSALMUS LII.

Synopsis

Est deploratio insipientiae generis humani: et ideo in psalmi titulo fit mentio intelligentiae David, quia per ipsum coarguenda erat coecitas et insipientia generis humani. Titulus autem est hic: In finem, pro Maëleth intelligentiae David. Illud Maëleth vertit S. Hieronymus per chorum, ut sensus sit, psalmum esse compositum pro choro, ut videlicet canatur a multis simul.

1. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.*
 2. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.* 3. *Deus de coelo prospexit super filios hominum: ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* 4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 5. *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?* 6. *Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* 7. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* 8. *Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum converterit Deus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob, et laetabitur Israël.*

Hic psalmus idem fere est cum psalmo XIII, unde petenda est explicatio. Solus explicandus est versus 7, qui respondet versui 10, psalmi XIII; sed plane diversus est. Hic igitur vers. 7 reddit rationem, cur

impii trepident timore, ubi non est timor: et dicit causam esse, *Quoniam Deus dissipat omnia ossa eorum*, id est, debilitat omne robur eorum, ut etiam levissima quaeque formident: id vero facit admirabili sua providentia infatuando consilia eorum, impediendo conatus eorum, etc. Addit propheta, *qui hominibus placent*; quoniam eiusmodi homines pleni sunt timore humano, sive mundano, et totum studium eorum est, hominibus placere. *Confusi sunt, quoniam Deus sprexit eos*; quibus verbis videtur alludere ad versum decimum ps. XIII: *Consilium inopis confudistis, quoniam Deus spes eius est.* q. d. Vos, impii, confudistis consilium inopis confidentis in Deo: et Deus confundet vos, ut saepe erubescere cogamini, videntes irrita consilia vestra, quoniam in Deo non sperastis, et Deus sprexit vos, ac per hoc non adiuvit vos.

PSALMUS LIII.

Synopsis

Titulus huius psalmi est: In finem, in carminibus intellectus David, Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos? Ex hoc titulo colligitur argumentum. Scribitur I. I Reg. c. XXIII, Ziphæos proditores fuisse Davidis, qui apud eos tanquam amicos manens, declinabat persecutionem Saulis. Ipsi autem Sauli patefecerunt Davidem apud se latere: unde factum est, ut Saul cum maximo exercitu ad eos accederet, et totum locum cingeret, ut David pene de vita desperaret. Occasione ergo huius periculi, David ad Deum per orationem confugit, et hunc psalmum Domino inspirante composuit. Illud intellectus David, significat hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut

*intelligeret in tam magno periculo ad Deum esse recur-
rendum, et in eo sperandum. In qua oratione intellexit
etiam, inspirante Domino, se de omni periculo liberan-
dum.*

1. *Deus, in nomine tuo salvum me fac; et in
virtute tua iudica me.* Orat ut, deficientibus omni-
bus humanis remediis, ipse ad adiuvandum adsit.
In virtute tua iudica me, id est, potentia et robore
tuo sis iudex meus, et pro meritis retribue mihi
defensionem, et adversario meo ultionem. Quo ex-
emplo admonemur, nunquam esse desperandum de
auxilio Domini, licet mors evidentissime imminere
videatur; Deus enim omnia in manibus habet, et
cultores suos ad se confugientes non despiciet.

2. *Deus, exaudi orationem meam; auribus per-
cipe verba oris mei.* Confessus erat potentiam Domi-
ni, nunc orat ut Dominus ad potentiam adiungat vo-
luntatem. q. d. Scio te omnia posse, sed oro, ut
velis, ideo peto, ut exaudias orationem meam,
qua te rogavi, ut potestate tua salvum me faceres.

3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me,
et fortes quaesierunt animam meam: et non propo-
suerunt Deum ante conspectum suum.* Explicat peri-
cula, a quibus liberari desiderat, dicens: *Quoniam
alieni insurrexerunt adversum me*, id est, Ziphaei,
qui proximi videbantur, sed corde alieni erant a me:
insurrexerunt contra me, irritantes Saulem ad me
persequendum: *et fortes quaesierunt animam meam*,
id est, et Saül cum armato exercitu quaesierunt
vitam meam ad extinguendum eam. *Et non propo-
suerunt Deum ante conspectum suum*, id est, et ne-
que illi, neque isti timorem Domini prae oculis ha-
buerunt.

4. *Ecce enim Deus adiuvat me: et Dominus su-
ceptor est animae meae.* Illud *Ecce* significat repen-

tinam illustrationem prophetæ, qua praevidit sibi auxilium Dei non defuturum: et tam certo praevidit, ut tanquam de re praesente dicat: *Ecce Deus adiuvat me*, particula *enim* ponitur pro *autem*. Porro vere repentinum et inopinatum fuit auxilium Dei: nam cum undique circumdedisset Saul exercitu suo Davidem, ut evadere non posset, repente venit nuntius ad Saulem qui diceret, Philisthaeos magno agmine se infudisse in regionem Saulis: quo nuntio Saul coactus est recedere a persequendo Davide.

5. *Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.* Per imprecationem intelligitur praedictio, ut saepe monitum est. *Averte mala, etc.*, id est, averte mala, quae mihi impendent a me, et converte illa ad inimicos meos. Illud *in veritate tua* significat iuxta promissiones tuas, vel sicut promisisti te facturum. Sic enim ordinarie contingit impiis, dum piis insidias struunt. Ita ss. Hilarius et Augustinus.

6. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Videns propheta se continuo exauditum sive ex praenotione futurae liberationis, sive quod ipso orante discesserit Saul, gratias agit Deo, ac dicit: *Voluntarie sacrificabo tibi*, id est, perlibenter et promptissimo animo offeram tibi sacrificium laudis, et idem aliis verbis repetens, ait: *et confitebor, etc.*

7. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me; et super inimicos meos despexit oculus meus.* Ostendit ex effectu nomen Domini (nomen Dei pro ipso Deo ponitur) bonum esse, cum tam cito exauditus sit. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, etc.* id est, quoniam revelans mihi meam certam liberationem, iam in spe ex omni tribulatione liberasti me; *et super inimicos meos despexit oculus meus, et*

in eadem praenotione iam oculus meus vidit inimicos meos prostratos et consumptos; refertur enim hoc ad id, quod iam antea dixerat: *in virtute tua disperde illos*. Vox illa despexit non significat hic contemptum, sed simplicem visionem. In hebraeo habetur *vidit ex alto*.

Hic psalmus quotidie in Ecclesia frequentatur ad Primam, ut exemplo Davidis discamus adversus omnes persecutores armis orationis ad initium diei communiri.

PSALMUS LIV.

Synopsis

Euthymius et Theodoretus psalmum hunc exponi volunt de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis: Ss. Hilarius et Hieronymus de Passione Christi, cuius figuram gessit David. S. August. de homine iusto in tribulatione posito, sive de corpore Christi, quod est Ecclesia. Omnes hae expositiones admitti possunt. Caeterum orat David Deum, ut se liberet a fallacibus amicis. Titulus psalmi est: In finem, in carminibus, intellectus David. Hic nihil est, quod non alias explicatum sit.

1. *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despereris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.* Incipit David quasi a prooemio, quo captatur benevolentia iudicis, ac petitur, ut benigne et attente audire velit. *Intende mihi et exaudi me, etc.*, id est, benigne me respice, et benignam aurem mihi porrige. Porro idem aliis verbis orat, ut affectum et desiderium ostendat.

2. *Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris.* Exponit nunc materiam orationis suae, quae

est vehemens persecutio inimicorum, ob quam contristabatur et conturbabatur, a qua liberari desiderat. *Contristatus sum in exercitatione mea*, sive *in meditatione mea* (ut s. Hieronymus vertit) id est, flevi, dum exercerer cogitando, et mecum conferendo miseras meas, *et conturbatus sum a voce inimici, etc.*, id est, non solum tristis fui propter praesentes miseras; sed etiam timui futuras, *conturbatus sum a voce inimici*, comminantis longe peiora, *et a tribulatione* quam minabatur peccator inimicus meus. Istum autem inimicum peccatorem intelligere possumus, tum Saulem, aut Absalonem respectu Davidis, tum Caipham, Annam, etc. respectu Christi; tum quemlibet peccatorem respectu hominis iusti.

3. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates; et in ira molesti erant mihi.* Ostendit, non vanam fuisse turbationem suam. *Quoniam inimici declinaverunt*, inquit, *in me iniquitates*, id est, proiecerunt in me falsa crimina, calumnias, opprobria, ut Hilarius et Augustinus exponunt. *Et in ira molesti erant mihi*, id est, ob iram in me conceptam: molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed etiam factis me persequentes

4. *Cor meum conturbatum est in me; et formido mortis cecidit super me.* Nulla enim res facilius ad intima descendit, et magis totum hominem turbat, quam mortis imminens periculum. Hoc impletum fuisse in Davide, cum plorans fugeret a facie Absalom, et in Christo, cum in horto paveret et sudorem sanguineum funderet, notissimum est.

5. *Timor et tremor venerunt super me; et contexerunt me tenebrae.* Idem aliis verbis dicit, et quasi summatim omnia comprehendit; nam timor in anima erat, tremor in corpore, tenebrae autem moe-

roris totum hominem operuerunt. Sicut enim laetitia exhilarat et dilatat cor, sic etiam moestitia constringit, ac per hoc tenebras facit.

6. *Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?* Verba sunt iusti suspirantis ad patriam coelestem, neque enim alibi vera requies invenitur, q. d. O si nunc possem ad altissimos montes coelestis Ierusalem confugere, quomodo columba potest pernicitate sua unguis accipitris evadere!

7. *Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.* David fugiens Saulem, et postea Absalonem, ad desertum se contulit, dicit: Ergo quia non datur mihi, ut instar columbae ad locum verae quietis ascendam, feci, quod potui: nam *elongavi fugiens*.

8. *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.* In ea solitudine *expectabam eum*, scilicet Deum, id est, auxilium eius *qui salvum me fecit*, id est, qui alias salvum fecit, et salvum facere solet *a pusillanimitate spiritus; et a tempestate*, id est, a parvo animo ad tolerandum, et a magna tentatione.

9. *Praecipita, Domine, divide linguas eorum; quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Quia expectabat salutem a Domino per orationem, orat Deum, ut impediatur consilia hostium. *Domine*, inquit, *praecipita*, sive dissipa (ut chaldaeus habet) et *divide linguas* hostium meorum, ut olim fecisti construentibus turrim Babelis Gen. xi, q. d. Fac ut hostes mei vel praeceps et temerarium ineant consilium, vel inter se dissideant, atque ita impediatur pravae machinationes eorum. Ita s. Augustinus et Theodoretus. *Quoniam vidi iniquitatem*, etc., viderat enim David in civitate Hierosolyma prodicionem iniquissimam adversus personam

suam, et rebellionem manifestissimam, quae significatur nomine contradictionis. Possunt etiam haec omnia exponi de Christo, ut exponit s. Hilarius nec non de viro iusto, qui persecutionem iniustam patitur, et contradictionem a civibus Babyloniae, id est, ab amatoribus mundi.

10. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius, et iniustitia.* 11. *Et non defecit de plateis eius usura et dolus.* Pergit describere iniquitatem civitatis, a qua persecutionem patiebatur, ac mirabili modo loquendi dicit, iniquitatem quasi armatum militem obtinuisse muros eius, ut iustitia non posset accedere. *Die ac nocte*, id est, semper, *circumdabit eam super muros iniquitas*, id est iniquitas super muros eius existens circumdabat eam instar custodiae militaris, *et labor in medio eius, et iniustitia*, id est, et interim intus, in ipsa civitate, nihil aliud erat, nisi labor miserorum et iniustitia potentium, dum hi opprimerent pauperes. *Et non defecit de plateis eius usura et dolus*, id est, et oppressio illa partim erat manifesta, dum in ipsis plateis exigent usuras, partim occulta, dum variis dolis circumvenirent pauperes. Haec conveniebant quidem Hierosolymae tempore Davidis, sed multo magis tempore Christi, et multo maxime conveniunt Babyloniae, id est, amatoribus mundi huius, in quo regnat concupiscentia carnis et oculorum, ac superbia vitae.

12. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* 13. *Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* 14. *Tu vero, homo unanimes, dux meus et notus meus.* 15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Dum David conquestus esset de tota civitate et populo,

conqueritur nunc de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel, Judas autem, si psalmus intelligatur de Christo: quivis falsus amicus, si de homine iusto generatim accipiatur. Ait igitur: *Si inimicus* aliquis manifestus *maledixisset mihi*, aequo animo tulissem, quia inimicus solet id facere, et non est mirum si faciat. *Et si is qui oderat me*, ita ut profiteretur manifestam inimicitiam mecum, magna aliqua convicia, vel calumnias de me locutus fuisset, *ego forsitan me abscondissem ab eo*, sed a te abscondi non poteram, neque unquam eiusmodi prodicionem a te expectassem, quoniam *tu homo unanimes* videbaris, id est, amicissimus meus, et unam animam mecum habens. Item *dux meus*, id est, primarius consiliarius et *notus meus*, id est, intimus socius et familiaris, *qui simul dulces mecum copiebas cibos*; Augustinus Eucharistiam intelligit, quam Judas cum Christo in ultima coena gustavit, qui cibus sane dulcissimus est, et omnium saporum suavitatem habet. *In domo Dei ambulavimus cum consensu*, id est, simul ad templum itabamus, simul in eo Deum colebamus, q. d. intimus eras mihi socius, non in politicis modo, sed et in sacris. Ita Theodoretus, Bellarminus, Tirinus, et alii.

16. *Veniat mors super illos; et descendant in infernum viventes.* Sicut Core, Dathan et Abiron, Num. xvi, qui vivi a terra dehiscente absorpti sunt, hoc impletum est in iis, qui Davidem, Absalome ducem, persequebantur, II. Reg. xviii. Impletum quoque est in Iudaeis, et impletur in plurimis impiis, qui non ignorant, in eo statu, quo versantur, se salvos esse non posse, et tamen scientes et videntes in eo usque ad mortem perseverant.

17. *Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in*

medio eorum. Haec est ratio tam severae imprecationis: iuste enim absorbentur viventes a terra, ut perpetuo habitent cum poenis, qui elegerunt habitare cum vitiis. Nam *nequitiae in habitaculis eorum*, et non in habitaculis vacuis, sed *in medio eorum*, id est, cum ipsis in eisdem habitaculis.

18. *Ego autem ad Deum clamavi; et Dominus salvabit me.* 19. *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam.* Praedixit interitum inimicis, nunc sibi salutem praedicat. *Ego*, inquit, *clamavi ad Deum* ardenti oratione, et ipse salvabit me a periculo, in quo versor; et deinceps clamabo non semel, sed etiam secundo et tertio, videlicet, *vespere, mane et meridie*, narrando et annuntiando aerumnas, ac miseras meas et misericordias Domini. Cur autem dicatur *vespere, mane et meridie*, et non potius, mane, meridie et vespere, ratio esse videtur, quoniam *festa celebrabantur a vespera ad vesperam.* Levit. xxiii, proinde primum tempus orationis erat vespertinum; quod etiam nunc observat ecclesia, quae incipit officia divina a primis vesperis.

20. *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi; quoniam inter multos erant mecum. Dixerat, et Exaudiet Deus vocem meam;* iam explicat, in quo sit exaudiendus: *Redimet in pace*, id est, sine labore meo *animam*, sive vitam *meam ab his qui appropinquant mihi*, ut mihi noceant, quoniam isti ipsi antea *inter multos alios erant mecum*: proinde proditorie et iniuste contra me pugnant, qui paulo antea in meis castris militabant. Ita obscurissimum hunc locum exponit Euthymius. Impletum est hoc in Davide, qui in praelio contra Absalom sine labore vicit, quia domi remansit, ut dicitur II. Reg. xviii. Impletum quo-

que est in Christo, qui liberatus est a morte per resurrectionem omnino in pace et sine labore.

21. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante saecula.* Id est *exaudiet me*, qui oppugnor iniuste, *et humiliabit illos* qui me oppugnant, *is qui est ante saecula*, scilicet Deus creator saeculorum.

22. *Non enim est commutatio, et non timuerunt Deum; extendit manum suam in retribuendo.* Merito, inquit, humiliabit illos iustus iudex, quia *non est illis commutatio*, obdurati enim sunt, neque poenitet eos sui sceleris: *et non timuerunt Deum*, sed magis homines reveriti sunt; ideo Deus extendit manum suam in retribuendo singulis, prout merebantur.

23. *Contaminaverunt testamentum eius, divisi sunt ab ira vultus eius; et appropinquavit cor illius.* Deus iuste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis, quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem; sed magis ac magis *contaminaverunt testamentum* sive pactum eius, malis suis operibus, praevaricando leges eius; propterea *divisi sunt*, id est, dispersi ac dissipati *ab ira vultus Dei*, quia *appropinquavit cor illius* (Dei) ad eos puniendos. Ita Bellarminus.

24. *Molliti sunt sermones eius super oleum; et ipsi sunt iacula.* Redit ad malitiam praecipui proditoris, qualis fuit Achitophel et Iudas. *Molliti*, inquit, *sunt sermones eius super oleum*, id est, prae oleo: et tamen ipsi sermones eius non sunt verba, sed iacula, sive lanceae; delectant aures, feriunt corda.

25. *Iacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet; non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Consolatur propheta in fine psalmi se, et sui similes, atque exhortatur ad fiduciam totam in Domino

collocandam. *Iacta super Dominum curam tuam*, etc., id est, relinque providentiae divinae curam eorum, quae tibi necessaria sunt ad vitam sive sustentandam, sive protegendam; ipse enim tibi de necessariis omnibus providebit; nec solum *enutriet te*, sed etiam defendet ab inimicis; etsi aliquamdiu fluctuari iustum permiserit ad probandam patientiam, tamen non diu fluctuatio haec durabit, quia non permittet Deus iustum in aeternum aerumnarum fluctibus agitari. Hunc versum s. Franciscus dabat fratribus suis pro viatico.

26. *Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.* Impios videlicet tu, Deus iudex, deduces in puteum mortis, unde nunquam emergere poterunt. Vocatur autem *puteus interitus* ipsa gehenna ignis aeterni.

27. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te, Domine.* Non solum viri qui insidiantur sanguini praecipitabuntur in puteum mortis aeternae, sed etiam hic in terris non diu vivent: *non dimidiabunt dies suos*, id est, non pertingent ad dimidium vitae, quam naturaliter possent vivere, sed immatura, improvisa et imparata morte morientur. Exemplo sint tempore Davidis, Saul, Absalom, Achitophel et tot alii priorum et posteriorum saeculorum. Ita Theodoretus. Denique concludit propheta verbis illis sibi valde familiaribus: *Ego autem sperabo in te, Domine*, non in viribus meis, quod videtur referendum ad omnia supra dicta; scilicet, ut liberetur a proditoribus, ab hostibus manifestis, a puteo interitus, et aliis impiorum poenis.

PSALMUS LV.

Synopsis

David fugiens Saulem, cum esset apud Allophylos, id est, alienigenas, scilicet Philisthaeos in Geth, 1. Reg. cap. XXI orat liberari a persecutione Saulis. Argumentum hoc satis colligitur ex titulo psalmi: In finem, pro populo (qui cum Davide fugerat) qui a sanctis longe factus est (qui a sanctuario, vel a sancto populo Dei elongatus erat), David in tituli inscriptionem (ut titulo, seu columnae in perpetuum inscribatur) cum tenuerunt eum Allophyli (Philisthaei) in Geth. Occasio ergo hunc psalmum componendi, Davidi fuit illa evasio de manibus Philisthaeorum per simulatam stultitiam. Videatur historia l. c.

1. *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo; tota die impugnans tribulavit me.* Patiebatur David indignam persecutionem Saulis, et eam declinare volens, incidit in graviorem Philisthinorum; et ab utraque ad tempus liberatus, in spelunca interim exul et inops delitescebat, I. Reg. c. xxii. Orat igitur, *Miserere mei, Deus*, qui miserorum unicum soles esse refugium, *quoniam conculcavit me homo*, id est, Saul; dicit autem homo potius quam Saul, ut opponat hominem Deo, q. d. Tu, Deus, miserere, quandoquidem homo est, qui tribulat. *Tota die impugnans tribulavit me*, hoc est, non semel mihi nocuit, sed omni tempore mihi molestus fuit. Haec verissima esse intelliget, qui libri I. Regum legerit.

2. *Conculcaverunt me inimici mei tota die; quoniam multi bellantes adversum me.* Non solus Saul, sed omnes servi eius Davidem persequebantur et conterere nitebantur.

3. *Ab altitudine diei timebo; ego vero in te spe-*

rabo. Sensus est: Ego tametsi tam multos inimicos habeam, tamen ab illis non timebo, sed *ab altitudine diei timebo*, id est, a divinis iudiciis timebo, quae procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat, etiam intima cordium; sed cum timore spem quoque adiungam, ego enim, qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam in misericordia et bonitate tua confidam.

4. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi caro*. Explicat clarius fiduciam suam et rationem fiduciae. Deus enim per Samuelem promiserat Davidi regnum; et haec promissio erat causa fiduciae, et de hac dicit: *In Deo laudabo sermones meos*, id est, fretus auxilio Dei laudabo aliquando promissiones mihi factas a Deo, quando videlicet impletæ fuerint. *In Deo speravi*, adimplendas eius promissiones, et ideo *non timebo quid faciat mihi caro*, id est, non timebo minas et persecutiones inimicorum meorum, qui caro sunt, id est, infirmi et fragiles, si cum Deo, qui mihi salutem et regnum promisit, comparentur.

5. *Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum*. Redit ad explicandam malitiam adversariorum suorum, ac dicit eos toto tempore quo apud illos fuit, non cessasse vituperare omnia verba et facta eius; et excogitare, quomodo eum perderent.

6. *Inhabitabunt et abscondent; ipsi calcaneum meum observabunt*. Addit aliam malam hostium suorum qualitatem. *Inhabitabunt et abscondent*, id est, simul habitare solebant mecum, tanquam amici, et interim abscondebant se; et tecte atque occulte machinabantur dolos; *ipsi calcaneum meum observabunt*, id est, gressus meos, actiones meas observant, ut me ad casum impellerent.

7. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes.* Praedicat nunc ruinam adversariorum suorum, iusto iudice Deo illis reddente, quod proximo suo facere consueverunt. *Sicut sustinuerunt animam meam*, id est, sicut expectaverunt vitam meam, ut eam perderent; ita tu, Deus, *pro nihilo*, sive pro nulla re eos *salvos facies*, id est, nullo modo salvabis, sed *in ira tua populos illos confringes*, et ad internecionem persequeris. Id quod impletum est tum in hostibus Davidis, I. II. Reg., c. ult., tum in hostibus Christi, qui consumpti fuerunt in obsidione Hierosolymae a Romanis; et reliquiae dispersae inter gentes; sed multo magis implebitur in die ultimi iudicii.

8. *Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Postquam de supplicio inimicorum locutus est, revertitur ad precandum pro se, ac dicit: *Deus, vitam meam annuntiavi tibi*, id est, exposui in oratione vitae praesentis statum miserum et aerumnosum: *posuisti lacrymas*, etc., id est, ego flens coram te narraui cursum afflictissimae vitae meae, et tu, misericors ac pius pater, non avertisti faciem tuam, sed aspexisti misericorditer lacrymas meas.

9. *Sicut et in promissione tua; tunc convertentur inimici mei retrorsum.* Prima verba coniunguntur cum praecedentibus, ut iuxta Hilarium, Hieronymum et Augustinum sensus sit: *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua*, id est, sicut promisisti te exauditurum deprecantes cum lacrymis; ita et fecisti, *inimici enim mei fusi fugatique dissipabuntur et peribunt.*

10. *In quacunque die invocavero te: ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Id est, tu declarabis exaudiendo, te meum esse Deum.

11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.* Est repetitio versus quarti supra explicati.

12. *In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam, laudationes tibi.* Pollicetur se persoluturum vota laudum in tribulatione concepta. *In me sunt vota tua*, id est, in memoria mea sunt, ut non excidant, *vota tua*, id est, promissiones tibi a me factae. *Quae reddam, laudationes tibi*, id est, quae vota reddam, vota videlicet laudum et gratiarum actionis, etc.

13. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Haec est summa beneficiorum divinorum. *Quoniam eripuisti*, etc., id est, vitam meam conservasti ab imminente morte, sive a Saule, sive ab Achis rege Philisthinorum: *et pedes meos de lapsu*, id est, et conservasti me, ne laberer in peccatum inter tot et tantas tentationes; conservasti ergo me a morte et a peccato, a morte videlicet corporali et spirituali, *ut placeam coram Deo in lumine viventium*, id est, in lumine vitae huius temporalis, quo carent qui mortui sunt: item in lumine fidei et gratiae, quo carent infideles et peccatores; ut tandem perveniam ad lumen gloriae coelestis, quo fruuntur illi, qui soli vere et proprie viventes dici possunt.

Ss. Hilarius et Augustinus totum hunc psalmum de Christo exponunt, qui per Davidem figuratus est: et etiam omnia Christo apprime conveniunt, ut patebit consideranti.

PSALMUS LVI.

Synopsis

David in spelunca obsessus a Saule implorat opem Dei, eaque obtenta gratias agit. Videri potest historia, quae habetur 1. Reg. c. xxiv. Cuius historiae occasione psalmum hunc conscriptum esse, manifestum est ex titulo. In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam. Porro illud ne disperdas, varii varie explicant: plerique volunt, Davidem pro se rogare Deum, ut non sinat eum occidi et perdi.

1. *Miserere mei, Deus, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea.* 2. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* David in spelunca precatur Deum, ut tollat miseriam, quam patitur ob periculum vitae, cui Saul insidiabatur. *Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea:* confidentia in Deum est optima ratio, quae allegari potest ad impetrandam misericordiam divinam, cum Deus promiserit in se confidentibus auxilium. *Et in umbra alarum tuarum sperabo,* id est, etiam perseverabo in hac confidentia toto tempore, *donec transeat iniquitas,* quae tamdiu durabit, quamdiu durabit haec peregrinatio, in qua mali bonis admixti sunt. Porro illa metaphora a gallina pullos suos colligente ac fovente desumpta significatur ingens amor Dei erga suos electos, quos fovet et protegit, ut res sibi unice caras.

3. *Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi.* Iam expertus erat David, clamando ad Deum se multum profecisse; tum praesertim, quando Saul cinxerat exercitu suo montem, ad quem David confugerat, ut iam de vita sua pene desperaret:

Saul autem, accepto nuntio de Philisthaeorum irruptione (ut I. Reg., c. xxiii narratur), coactus est recedere a persequendo Davide cum magno suo opprobrio et dolore, et hoc breviter attingitur in sequentibus versiculis.

4. *Misit de coelo et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.* 5. *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.* 6. *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae: et lingua eorum gladius acutus.* Sensus est: *Misit de coelo Deus auxilium, et liberavit me*, quando cinctus ab hostibus iam iam capiendus et occidendus eram, *dedit in opprobrium conculcantes me*, id est, exposuit probris Saulem et milites eius, qui me ut pulverem conculcabant et contemnebant; quando re infecta coacti sunt recedere, ut supra dictum ex c. xxiii, I. Reg. *Misit, inquam, de coelo misericordiam et veritatem*, quasi duas manus suas, *misericordiam*, qua liberaret me, *et veritatem*, id est, iustitiam, qua hostes meos pudore et dolore afficeret. *Et eripuit animam meam*, hoc est, vitam meam, *de medio catulorum leonum*, id est, Saulis et militum eius. Sed etiam sic liberatus ab imminente morte, tamen *dormivi conturbatus*, quia timui detractiones et calumnias inimicorum meorum, quorum dentes et linguae feriunt instar lancearum et gladiatorum acutorum.

7. *Exaltare super coelos, Deus: et in omnem terram gloria tua.* Exposito timore suo, precatur Deum ut exercendo iustitiam in impios hostes suos, manifestet gloriam suam. *Exaltare, etc.*, id est, sede in altissimo throno, qui est super omnes coelos, ut iudices, vel exaltetur nomen tuum super coelos coram angelis, *et in omnem terram*, coram hominibus

dilatetur *gloria tua*; ita ut omnes intelligant et laudent iustitiam tuam.

8. *Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.* 9. *Foderunt ante faciem meam foveam; et inciderunt in eam.* Reddit causam, cur iudicium Dei adversus hostes suos imploret. Nam praeter alia, inquit, *laqueum paraverunt pedibus meis*, id est, insidias mihi tetenderunt, ut me quasi feram ex improviso caperent, *et incurvaverunt animam meam*, id est, atque his insidiis me afflixerunt, ut prae continua solitudine incurvus ac moestus incederem. Deinde id ipsum alia metaphora repetit, et addit: *et inciderunt in eam* (foveam), id est, paraverunt mihi periculum vitae, et ipsi in illud inciderunt.

10. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam.* Iam excitat propheta spiritum suum in Deum, ac dicit: *Paratum cor meum*, etc., scilicet ad omnia excipienda, quae mihi immiseris, sive bona, sive mala, et quicquid acciderit de manu tua, accipiam, *cantabo et psalmum dicam*, laudabo misericordiam, laudabo iustitiam et voce et instrumento musico.

11. *Exurge, gloria mea, exurge psalterium et cithara, exurgam diluculo.* Quia dixerat *cantabo, et psalmum dicam*, nunc ut id recte fiat, non musas, ut poëtae, sed spiritum prophetiae invocat, ut Theodoretus exponit. *Exurge, gloria mea*, id est, donum spiritus, quo afflante canere soleo divina mysteria, *exurge, psalterium et cithara*, id est, exurge etiam spiritus meus et lingua mea; spiritus enim intelligitur per psalterium, quod ex parte superiore sonum edit, et lingua per citharam, quae ex parte inferiore sonat. *Exurgam diluculo*, id est, summo mane, quod est aptissimum tempus con-

templandi divina et canendi Deo. Potest hic locus etiam intelligi de resurrectione Christi, uti explicant Hieronymus et Augustinus.

12. *Confitebor tibi in populis, Domine; et psalmum dicam tibi in gentibus.* Surgens diluculo David ad canendum Deo, dicit *confitebor tibi*, etc. Noverat s. propheta psalmos suos toto orbe terrarum cantandos a fidelibus, tum ex Iudaeis, tum ex gentibus in ecclesia congregatis. Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui dicit *exurgam diluculo*, addat quoque, se per corpus suum, quod est ecclesia, Deum semper et ubique laudaturum.

13. *Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua; et usque ad nubes veritas tua.* Haec est materia laudis, quod *miseriordia Dei* magna effecta sit, et creverit usque ad coelos, non in se, quia semper est infinita, sed in operibus suis; et pari ratione *veritas Dei*, sive pro fidelitate, sive pro iustitia sumatur, repleverit omnia usque ad nubes, id est, usque ad coelos.

14. *Exaltare super coelos, Deus; et super omnem terram gloria tua.* Quomodo misericordia et veritas Dei pertingunt usque ad coelos, sic etiam par est, ut gloria et laus eius et coelum et terram repleat.

PSALMUS LVII.

Synopsis

Est acris reprehensio hominum iniquorum: quamvis enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Saulis et ministrorum eius persequentium Davidem; tamen reprehensio est generalis. Titulus nihil habet novi, est enim iste: In finem, Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

1. *Si vere utique iustitiam loquimini: recta iudicate filii hominum.* Cum omnes homines interrogati, an sit bonum furari, moechari, decipere, etc. recte respondeant non esse bonum: quia lex scripta in corde docet, ista non esse bona, cum nemo velit talia sibi fieri: convincuntur omnes iniqui non vere loqui iustitiam, sed fecte et simulate, quia in corde suo iudicant sibi esse bonum furari, moechari, decipere, etc., non enim facerent, nisi bonum esse crederent. His igitur per prophetam dicit Spiritus s.: *Si vere utique iustitiam loquimini*, dum dicitis malum esse furari, moechari, decipere, etc., *recta iudicate filii hominum*, id est, iudicate in corde vestro, non esse facienda, ac per hoc nolite facere, quae mala esse confessi estis.

2. *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestrae concinnant.* Ostendit non sine causa se admonuisse, ut recta iudicent, si iustitiam vere loquuntur: nam apparet, contraria illos facere, ac per hoc non vere iustitiam loqui, sed fecte ac mendaciter. *Etenim*, inquit, *in corde iniquitates operamini*, id est, in corde iudicatis, ac discernitis mala, neque ibi sistitis; sed *in terra manus vestrae*, cordis mandata exequentes *concinnant iniustitias*. Illud *concinnant* significat, peccata

peccatis apte coniungere et appendere unum alteri, sed admixta saepe specie aliqua virtutis, ut turpitudine iniquitatis aliquo modo tegatur.

3. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero; locuti sunt falsa.* Haec est alia peccatorum miseria, quod vix in lucem editi a recto tramite deflectunt. *Alienati sunt peccatores a vulva*, id est, ab ipso exitu de vulva alienati sunt a recto tramite, a via veritatis, a beata vita: *erraverunt ab utero*, est declaratio prioris, *locuti sunt falsa*, hoc enim ordinarie est primum peccatum actuale, quod pueri committunt, mendacium videlicet, inde se primum prodit naturae corruptio.

4. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, et obturantis aures suas.* 5. *Quae non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.* Sensus est: Nonnunquam tales peccatores, qualis tunc Saül erat, tanto furore et tanta obstinatione grassantur in perniciem aliorum, ut similes efficiantur serpentibus illis qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt, et non exaudient vocem *venefici incantantis sapienter*, id est, valde periti in arte sua. Tales erant principes sacerdotum obturantes aures suas ad vocem s. Stephani, Actor. vii, 57, et quotquot nolunt audire verbum Dei, vel instinctus bonos Spiritus S.

6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.* Describit nunc poenas huiusmodi peccatorum aptissimis similitudinibus; prima hic continetur, et summa eius est: a Deo auferri potentiam eorum quantumvis magni, robusti, et fortes videantur leonum instar. *Molas leonum confringet Dominus*, id est, non solum dentes minores, sed etiam molares, qui sunt omnium maximi et durissimi, confringet Dominus.

7. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.* Haec est altera similitudo, quae docet potentiam impiorum fore brevissimam, et post modicum ita redigendam esse ad nihilum, ut tota progenie extincta, ne vestigium quidem eius remaneat: sicut *aqua decurrens*, torrentis vel pluviae velocissime transit, et vestigium non relinquit. *Intendit arcum suum donec infirmentur*; id est, impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum adversus eos, quem non remittet, donec illi infirmentur ac debilitentur, et viribus amissis deficiant et pereant.

8. *Sicut cera quae fluit auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Tertia est haec similitudo, quae demonstrat, non minus facile esse Deo potentiam impiorum ad nihilum deducere, quam facile sit soli aut igni ceram liquefacere. *Sicut cera quae fluit*, tangente illam sole vel igne; ita *auferentur* de medio homines peccatores: nam *supercecidit ignis* irae Dei in illos, et ipsi tanquam cera continuo liquefacti perierunt, *et non viderunt amplius solem*, quem soli viventes videre possunt. Ita Ss. Hilarius et Hieronymus.

9. *Priusquam intelligerent spinæ vestrae rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* Haec est ultima similitudo, qua docet propheta, impios succidendos a Deo, antequam possint implere mala, quae adversus iustos meditati sunt, uti Sauli et innumeris aliis contigit. Similitudo autem desumpta est a spinis, quae ab agricolis succiduntur, dum tenerae sunt, antequam ad robur rhamni, quod est lignum magnis et durissimis spinis instructum, crescendo perveniant. *Priusquam intelligerent spinæ vestrae rhamnum*, id est, priusquam ad perfectio-

nem suam spinae tenerae crescendo pervenirent, ut ad instar rhamni pungere, ferire, et lacerare possent, *sicut viventes, sic in ira absorbet eos* (*absorbet enim, ut iam monuimus, more prophetico positum est pro absorbebit*), Deus, inquam, absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes absorbere solet terra aut mare. Porro mutatio illa personae familiaris est prophetis, ut cum loqueretur ad ipsos impios in secunda persona, *spinae vestrae*, mox transcat ad tertiam, dicens, *absorbet eos*, pro absorbebit vos.

10. *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Cum haec facta fuerint, quae supra dicta sunt de perditione impiorum, *laetabitur iustus*, non cupidine vindictae, sed amore et zelo iustitiae. *Manus suas lavabis in sanguine peccatoris*, id est, tam copiosam referet de prostratis victoriam, ut si lubeat, manus suas lavare possit in sanguine occisorum. Ita Tirinus. Vel dici potest cum s. Augustino iustum lavare manus suas, id est, mundare opera sua, et bene operando fieri diligentiorum, dum cernit sanguinem, id est, mortem, ac supplicia impiorum.

11. *Et dicet homo: Si utique est fructus iusto, utique est Deus iudicans eos in terra.* Cum impii punientur et iustus laetabitur, tunc *dicet homo*, id est, tunc homines, qui ista videbunt, dicent: Si iustitia fructum aliquem adfert, ut vere adfert, ille maximus est fructus, quod Deus summus omnium iudex non sinit peccatores impunitos, neque iustos irremuneratos; sed retractat omnia iniusta iudicia et iudicat eos, id est, tam malos quam bonos: tribuens iustis debita praemia pro omnibus bonis operibus quae fecerunt, et pro omnibus malis quae pertulerunt: et impiis debita supplicia pro omnibus malis quae

fecerunt, et pro omnibus deliciis in quibus lascivierunt. Ita Theodoretus, Tirinus, Le Blanc, Belarminus, et alii.

PSALMUS LVIII.

Synopsis

Occasio scribendi praesentem psalmum colligitur ex hoc eius titulo: Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum eius, ut eum interficeret. Scribitur enim l. 1. Reg. xix. missos fuisse satellites a Saule, qui custodirent domum David, ne forte nocte effugeret, ut eum mane facto interficerent; sed Davidem coniugis suae consilio et auxilio per fenestram noctu dimissum aufugisse. Scribit igitur David in hoc psalmo orationem, quam imminente tam ingente periculo fudit ad Deum: et simul praedicat, ut solet, perditionem inimicorum suorum. Iuxta S. Aug. et Theodor. convenit Christo in sepulcro quasi in domo a satellitibus custodito. Potest etiam totus psalmus commode explicari generatim de impiis persecquentibus iustos, et impiorum exitio, ac iustorum liberatione. Solet enim David occasione afflictionum suarum concionari in universum de afflictionibus, et consolatione iustorum, et malitia, ac suppliciis iniquorum.

1. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus; et ab insurgentibus in me libera me.* 2. *Eripe me de operantibus iniquitatem; et de viris sanguinum salva me.* Versus secundus est explicatio primi; quod enim David ibi dixit inimicos suos, hic dicit operantes iniquitatem: iusti enim non alios habent inimicos, nisi iniquos: et quos ibi dixit insurgentes in se, hic dicit viros sanguinum; id est, viros homicidas,

et qui insurgunt in proximum, ut eius sanguinem fundant.

3. *Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.* Reddit rationem, cur dixerit: *salva me, vel eripe me*, quia videlicet in maximo discrimine vitae amittendae versabatur. Erat enim quasi fera intra rete conclusa et captiva, et iamiam interficienda.

4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri et direxi.* Id est, irruerunt in me fortes, et tamen nulla est iniquitas, nulla iniustitia, neque peccatum aliud adversus eos a me patratum. Ego enim *sine iniquitate cucurri*, id est, cursum vitae hucusque peregi sine ulla ipsorum offensione, *et direxi*; id est, rectum cursum institui, non declinavi ad dexteram ad aucupandos favores potentiorum; neque ad sinistram, ut opprimerem pauperes et humiles.

5. *Exurge in occursum meum et vide; et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israël.* 6. *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Hoc dicit David: Ego bene operando, ad te cursum meum direxi: tu igitur vicissim me protegendo, mihi occurre, atque ad me cursum auxilii tui dirige; *et vide* de proximo periculum meum: neque potes excusare potentiam vel ignorantiam, nam *Dominus et Deus virtutum* es, et es *Deus Israël*, proinde israelitas, ut proprius eorum Deus ex foedere cum patribus nostris in te protegere debes. *Intende ad visitandas omnes gentes*, id est, adveniat aliquando dies iudicii tui, et tunc non miserearis omnium operantium iniquitatem, sed omnes pro meritis punias. Haec videntur accipienda prophetice, ut sensus sit: Veniet aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent om-

nes Deo summo iudici rationem factorum suorum, et tunc Deus nullius impii miserebitur, sed omnes malos male perdet.

7. *Convertentur ad vesperam: et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* Pergit explicare miseram conditionem iniquorum in novissimo die, ipsi enim *convertentur ad vesperam*, id est, finito die, in quo fructuose converti licebat. *Et famem patientur ut canes*, famem utique iustitiae, quam esurire nescierunt, dum tempus erat, vel famem qualiscumque consolationis et quietis; *et circuibunt civitatem Dei*, id est, electorum coetum: respicient enim ad omnes, si quomodo apud aliquem misericordiam invenire possint, sed non inventient. S. Augustinus tamen hoc exponit de conversione iudaeorum ad fidem in fine mundi. S. Hieronymus, Hilarius et Theodoretus de dispersione iudaeorum post excidium Hierosolymae per Titum.

8. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?* Revertitur ad malitiam impiorum: vicissim enim loquitur propheta nunc de culpa, nunc de poena eorum. *Ecce*, inquit, qui me quaerunt ad necem, *loquentur in ore suo*, id est, submissa voce inter se loquentur, *et gladius in labiis eorum*, id est, et verba ipsorum quasi gladius erunt, quoniam de nece mea inter se consultabunt, secure autem inter se loquentur, *quoniam*, dicent, *quis audivit?* secretus erit sermo: non est, qui insidias Davidi aperiat, aut nos impediatur. Ita Symmachus, Theodoretus et alii.

9. *Et tu, Domine, deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.* Illi putant se non audiri, quando inter se secreto consultant, sed *tu, Domine*, cui nihil est occultum, *deridebis eos* tanquam vanos, nec solum inimicos meos deridebis, sed etiamsi omnes

gentes cum illis coniungerentur, eas quoque contemneres et nihili faceres.

10. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius praeveniet me.* Illud *Fortitudinem meam ad te* (chaldaeus habet *apud te*) *custodiam*, sive tibi reponam, tibi acceptam feram, sic intelligendum est: Quantaecunque vires vel industriae mihi necessariae sunt ad vim et insidias inimicorum evadendas, a te sunt sperandae et expectandae. Ita s. Augustinus, Theodoretus et Genebrardus.

11. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei.* 12. *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.* Revertitur propheta ad inimicos suos, ac praedicit poenam ipsorum; sed haec omnia magis loquitur in persona Christi, quam in persona propria. *Deus*, inquit, *ostendet mihi super inimicos meos*, id est, demonstrabit mihi supplicium quo punientur. Ego autem precor Deum, ut non occidat eos, id est, non omnino extinguat gentem iudaicam, nequando homines obliviscantur populi mei; vult enim Christus agnosci populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, inquit, ut *Deus in virtute sua et potentia dispergat illos per orbem terrarum, et deponat eos de altitudine gloriae, in qua positi erant.* Quae omnia in iudaeis videmus ad litteram adimpleta. Ita ex s. Augustino, Bellarmino et Tirino.

13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua.* Explicat causam dispersionis iudaeorum: q. d. haec illis eveniant. *Delictum*, id est propter delictum (ut chaldaeus habet) *oris eorum, et propter sermonem labiorum ipsorum, quo dixerunt: Non habemus re-*

gem nisi Caesarem. Et, Sanguis eius super nos et super filios nostros, Matth. xxvii. Deus enim iuste illis tribuit, quod sibi imprecati sunt. Et comprehendantur in superbia sua, id est, captivi fiant a romanis, et humilientur ob superbiam suam, qua Dei Filium contempserunt.

14. *Et de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione; in ira consummationis, et non erunt. Per execrationem et mendacium intelliguntur verba supra dicta. Illud enim Sanguis eius super nos, etc., fuit horrenda execratio. Illud autem, Non habemus regem, etc. mendacium et simulatio fuit. Praedicit ergo propheta; quod de hac execratione et mendacio, id est, propter haec delicta oris ipsorum, annuntiabuntur in consummatione, id est, divulgabuntur et infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consummabitur et destruetur omnis potentia, gloria, etc. iudaeorum. In ira consummationis, hoc est, in illa consummatione, quae non casu accidet, sed ab ira et indignatione Dei proveniet, et ideo erit perfecta et absoluta consummatio, ut nunquam deinceps iudaei regnum habituri sint; ideo additur, et non erunt, id est, non erunt populus, nec regnum, sed dispersio et dissipatio miserabilis, ut hodie cernimus oculis nostris.*

15. *Et scient quia Deus dominabitur Jacob et finium terrae. Et cum fuerint dispersi iudaei per omnes terras, tunc scient, et aperte videbunt, Deum verum non solum esse Dominum Jacob, id est, populi israhelitici; sed etiam omnium finium terrae, id est, omnium gentium; usque ad ultimos fines terrae.*

16. *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem. Sed nunquam a-*

pertius scient, Deum dominari Iacob et finium terrae, quam in novissimo die: tunc convertentur ad poenitentiam, sed ad vesperam, finito tempore misericordiae: et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem electorum, ut cibum consolationis inveniant.

17. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati et murmurabunt.* Idem iudaei dispergentur ad manducandum, recurrendo ad patriarchas suos et prophetas, atque ad eos clamando, ut canes famelici: et quia nihil consolationis accipient, neque ab illis pro filiis agnoscentur, murmurare incipient, et queri de sua infelicitate. Ita Belarminus. Hos duos versus autem sic explicat Le Blanc, alios quosdam interpretes secutus: Honoribus ac divitiis privati, atque summam in paupertatem redacti, varios cursus usque ad vesperam facient, ut canina fame cruciati panem sibi comparent: quare ostiatim mendicantes totam civitatem circuibunt, imo per varia oppida, pagosque dispergentur, et tamen cum tanto labore ne panem quidem ad satietatem reperient: et tunc ingemiscent, et mentis impotes murmurabunt. Sic ille.

18. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exultabo mane misericordium tuam.* Miseri illi latrabunt, et murmurabunt: *Ego autem* e contrario (sic David sive in persona propria, sive potius in persona Christi et ecclesiae) *cantabo*, et laudabo *fortitudinem tuam*, id est, magnam potentiam tuam, quam ostendisti in debellatione et perditione iniquorum. *Et exultabo misericordiam tuam*, id est, exultans laudabo misericordiam, quam ostendisti in liberatione et glorificatione iustorum: id autem faciam summo *mane*, id est, primo quoque tempore, vel *mane*, id est, inchoante die sempiternae feli-

citatis, transacta iam nocte terribilis iudicii universalis.

19. *Quia factus es susceptor meus, et refugium meum, in die tribulationis meae.* Declarat effectum misericordiae, quam exultando decantaturum se promittit: quod videlicet Deus susceptor eius fuerit, id est, protegendum susceperit, et refugium illi praestiterit in omni tribulatione sua. Denique idem aliis verbis repetit, ut affectum suum et gratum animum erga tantum benefactorem ostendat, et ait:

20. *Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.*

PSALMUS LIX.

Synopsis

Occasio scribendi psalmi praesentis fuit ea victoria, quae narratur in titulo (In finem, Pro his qui immutabuntur, in tituli iuscriptionem ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, et Sobal, et convertit Ioab, et percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia), et fusius II Reg. VIII et X, item I Paralip. XVIII. Igitur occasione huius victoriae canit Propheta praeteritas afflictiones suas, et totius populi et praesentem ac futuram felicitatem. Quae omnia etiam possunt applicari Ecclesiae, quae post multas persecutiones mirum in modum dilatari et crescere coepit. Coeterum non legitur quidem in libris Reg. quod David succenderit Mesopotamiam et Sobal, sed non omnia scripta sunt in libris Regum. Idem intelligendum de 12000 Idumaeorum a Ioab caesis.

1. *Deus, repulisti nos et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.* Incipit narrare praeteritas afflictiones populi israelitici. *Deus, repulisti nos a*

paterna cura et protectione, *et destruxisti nos*, permittens nos destrui, opprimi et vexari a philisthaeis, idumaeis, moabitibus, etc. *Iratu es nobis ob peccata*, quibus te ad iracundiam provocavimus; sed tamen paulo post *misertus es nobis*, dum nos per gratiam tuam ad poenitentiam revocasti, et post poenitentiam a captivitate et persecutione liberasti.

2. *Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est.* Explicat magnitudinem persecutionis. *Commovisti terram, etc.* id est, totam terram promissionis, si respiciamus persecutiones iudaicas: si vero persecutiones christianas cogitemus, sensus erit, *Commovisti terram, etc.*, id est, ecclesiam toto orbe diffusam. *Sana contritiones eius, etc.*, id est, tu Deus, qui non ut hostis, sed ut medicus vexas, sana scissiones et vulnera eius, quoniam *commota est ad poenitentiam*.

4. *Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus.* Deus scilicet, dum purgat electos, significat illis, ut a tribulatione temporali admoniti intelligant, quae supplicia maneant impios: et ideo iuste ac pie viventes *fugiant a facie arcus divini*, qui extensus nunc manet, sed aliquando cum tanto impetu laxabitur, ut impios in aeternum perdat.

5. *Ut liberentur dilecti tui; salvum fac dextera tua, et exaudi me.* Concludit orationem suam, ac si diceret: Ut ergo *liberentur dilecti tui* a persecutionibus et angustiis, in quibus tamdiu versati sunt; *salvum fac potenti dextera tua me regem populi tui*, et *exaudi me* pro universo populo deprecantem.

6. *Deus locutus est in sancto suo: Laetabor et partabor Sichiman; et convallem tabernaculorum metabor.* 7. *Meus est Galaad, et meus est Manasses;*

et Ephraim fortitudo capitis mei. Iam incipit ostendere, exauditam fuisse orationem suam, et se victoriam obtinuisse de omnibus fere hostibus suis, ac dilatasse vehementer imperium suum. *Deus*, inquit, *locutus est in sancto suo*, id est, e sanctuario, ut Hieronymus et Chaldaeus vertunt, seu e propitiatorio olim promisit mihi Deus, quod *laetabor*, cum velut rex *partibor*, et tanquam propriam haereditatem *dimetiar*, et distribuam subditis meis terras illas: scilicet *Sichimam*, seu terram Samariae, in qua erat Sichem, *et vallem tabernaculorum*, est locus sic dictus, quia Iacob olim sua tabernacula ibidem fixerat, Gen. xxxiii, v. 17, in tribu Gad. *Meus est Galaad*, etc. id est, mihi data est regio, quae cessit mediae tribui Manasse, totaque Galaaditis trans Iordanem *et Ephraim*, id est, reliqua regio cis Iordanem attributa tribui Ephraim, *est fortitudo capitis mei*, id est, firmamentum et robur regni mei, cui facile fidam protectionem capitis mei: nam tribus Ephraim abundabat strenuis militibus.

8. *Juda rex meus: Moab olla spei meae.* Addit superius recensitis regionibus regionem Iuda: *Juda*, inquit, *rex meus*, id est, mea quoque est tota regio, quae dicitur Iuda a Iuda filio Iacob, quae tribus Iuda principatum gerit in populo meo, vel ex qua prodierunt principes patres mei, et prodibunt principes filii mei. Deinde post enumeratas provincias regni proprii, enumerat provincias hostium debellatorum, quae tributariae factae erant: ac primo ponit provinciam Moabitarum, quae dicebatur *Moab*, a Moab filio Loth. *Moab*, inquit, *olla spei meae*, id est, provincia Moab mihi iam subiecta, est mihi instar ollae plenae carnibus, in cuius ubertate et abundantia sperare possum.

9. *In Idumaeam extendam calceamentum meum:*

mihi alienigenae subditi sunt. David quidem iam unam victoriam adversus idumaeos obtinuerat, ut refertur in titulo psalmi; tamen nondum totam Idumaeam sibi tunc subiecerat, ait igitur: *In Idumaeam extendam calceamentum meum*, id est, pergam ad debellandam et pedibus conculcandam Idumaeam: est autem Idumaea regio, quam possidebant qui ab Esau fratre Iacob ortum ducebant. *Mihi alienigenae subditi sunt*, iam enim philisthaeos, qui dicuntur alienigenae, debellaverat.

10. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?* Quoniam haec sola gens restabat omnino subiicienda, quae habitabat in locis munitissimis; ideo quaerit: quo duce, quo auxiliante ingredi potero victor in regiam Idumaeae, quae est civitas valde munita? De munitione regis Idumaeorum scribit Abdias propheta, cap. I, v. 3 et 5.

11. *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?* q. d. Non est alius qui me introducere possit in civitatem munitissimam Idumaeae, nisi tu, Deus, qui repulisti nos, et non egredieris ad bellum confisus in virtutibus, sive exercitibus nostris: sicut enim te repellente, et deserente vincebamus, ita te solo praesente et adiuvante vincere poterimus.

12. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.* Ergo, inquit, tu qui solus potes, et in quo solo confidimus, *da nobis auxilium*, quo de omni tribulatione et angustia liberemur, quia vana est salus, quae ab hominibus expectari potest.

13. *In Deo faciemus virtutem; et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Scilicet in auxilio Dei confisi faciemus virtutem, id est, fortiter agemus, et ipse erit, qui ut principalis auctor per instrumenta

manuum nostrarum profligabit omnes inimicos, qui nos tribulant. Quod si in bello corporali verum est in solo Deo confidendum esse, tanquam in auctore praecipuo, multo magis id verum est de bello spiritali, quo ecclesia pugnat adversus haereticos, etc.

PSALMUS LIX.

Synopsis

Ex sententia Ss. Hilarii, Hieronymi et Augustini, quos sequi libet, est oratio hominis iusti, sive Ecclesiae Christianae in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam coelestem et quietem perpetuam suspirantis. Theodoretus et Euthymius volunt esse orationem populi apud Babylonem captivi; alii putant esse orationem Davidis in exilio positi.

1. *Exaudi, Deus, deprecationem meam; intende orationi meae.* Est praefatio, qua vir iustus, sive populus christianus petit audientiam a Deo, ut exaudiat deprecationem suam, et ab ea audita non avertatur, sed benigne potius eam consideret.

2. *A finibus terrae ad te clamavi; dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me.* Nunquam fuit David exul in finibus terrae, neque captivi ducti sunt unquam filii Israël in fines terrae: quare potius videtur haec vox ecclesiae esse, quae occupavit orbem terrae usque ad ultimos terminos eius. Ecclesia igitur usque ad fines terrae propagata, ait: *Ab ipsis finibus terrae, id est, ex toto orbe simul per voces membrorum meorum, ad te clamavi.* Deinde reddit rationem, cur magna fiducia clamet ad Deum: *Dum alias, inquit, non raro anxietur cor meum, ob varias tentationes, tu clamantem exau-*

disti, et *in petra exaltasti me*, id est, in altissimo et munitissimo loco me collocasti: quem locum paulo post *turrim fortitudinis* appellabit. Porro *petra* ista sublimis Christus est, in quem quicumque per contemplationem exaltatur, et quanta ipse prior passus sit, et quem exitum passiones eius habuerint, diligenter cogitat, facile vincit et contemnit omnia.

3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.* Declarat quod dixit: *In petra exaltasti me. Deduxisti me*, id est, dux mihi fuisti, cum fugerem ab hoste, tentationibus me impugnante. *Quia factus es spes mea*, id est, hoc fuit *me deducere*, implere me bona spe, quae fecit, ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Itaque tu *factus es spes mea*, et *turris fortissima a facie inimici*, qui enim confidit in Deo, et recogitat quid ipse passus sit, etc., ille sine dubio *turrim munitissimam* ascendit, ubi non solum iacula hostium vitare, sed etiam in hostes tela iaculari poterit.

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula: protegar in velamento alarum tuarum*, q. d. In *turri illa fortitudinis inhabitabo* tanquam peregrinus in *tabernaculo*; atque interim *protegar in velamento alarum tuarum*, ut pullus sub alis gallinae, ne moribus milvorum pateam. Illud *in saecula* significat hoc loco, assidue, perpetuo, semper, ut sensus sit, ab hoc tabernaculo non recedam, quamdiu periculum tentationis erit.

5. *Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam; dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.* Ratio fiduciae meae est quia tu, *Deus meus*, semper *exaudisti orationem meam*, et hoc ideo, quia inter filios tuos numerasti me, quibus *haereditatem de-*

disti, id est, firmiter promisisti: nam si Deus timentibus se filiis suis haereditatem aeternam servat, quomodo non defendet illos in via? quomodo non exaudiet eos de quacumque tribulatione clamantes ad se?

6. *Dies super dies regis adicies: annos eius usque in diem generationis et generationis.* Quia propheta meminit haereditatis sanctorum, quae est vita aeterna, declarat hanc haereditatem toti ecclesiae promissam, inchoandam esse in capite, et ideo dicit: *Dies super dies regis adicies*, id est, Christo regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine, et similiter *annos eius multiplicabis usque in diem generationis et generationis*, id est, usque in diem aeternitatis, qui dies quamvis unus sit, tamen aequivalet *generationi et generationi*, saeculo et saeculo, temporibus et temporibus sine fine. Hac autem phrasi aeternitatem significari, perspicuum est, ex psal. cxviii et cxxxiv, in quibus pro eodem accipitur, *in aeternum et in generatione et generationem*. Ex his aperte colligitur, hunc psalmum non tam regi David, quam regi Christo convenire. David enim non vixit ultra 70 annos, neque regnum permansit in domo eius, nisi ad certum ac definitum tempus.

7. *Permanet in aeternum in conspectu Dei; misericordiam et veritatem eius quis requiret?* Rex ecclesiae Christus Dominus *permanet in aeternum in conspectu Dei*: ad hoc enim introivit in coelum, *ut appareat vultui Dei pro nobis*. Apostolo teste ad hebr. c. ix, *Misericordiam et veritatem eius quis requiret?* Id est, *misericordiam*, qua redemit genus humanum *et veritatem*, qua promissa servavit et servat, quis investigabit? sunt enim abyssus multa, ac ut apostolus ait ad Ephes. 3, *Caritas Christi su-*

pereminet scientiae, hoc est, maior est, quam intelligi possit. Ita Theodoretus et Euthymius exponunt. S. Hilarius et s. Hieronymus hunc sensum esse volunt: *Misericordiam et veritatem eius quis requireret?* quia praesto erit omnibus.

8. *Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi; ut reddam vota mea de die in diem.* Quia misericordia Christi tam abundanter mihi adest, et veritas eius tam certa est, ut non sit opus eam requirere: ego sic psallam nomini tuo in saeculum saeculi, id est, laudabo te Deum meum, non hic in terris tantum, sed etiam in coelis, aeternis hymnis et canticis celebrabo: *ut hoc modo reddam vota gratiarum actionis de die in diem*, id est, omnibus diebus praesentibus et futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet. Ita ex s. Hilario cardinalis Bellarminus.

PSALMUS LXI.

Synopsis

Est exhortatio ad patientiam in adversis, et confidentiam in Deo, cuius occasione agitur de vana confidentia in divitiis. De titulo: In finem pro Idithun, Psalmus David, dictum est in explicatione psalmi xxxviii.

1. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Vir iustus graviter impugnatus a concupiscentiis variis, fortiter reluctans clamat: *Nonne Deo* etc., idest: *Nonne aequum est, est mihi utilius, ut Deo subiiciar, quam dominatui avaritiae, vel superbiae, etc.? ab ipso enim salutare meum;* nam concupiscentiae, quae mihi dominari affectant, nullum stipendium aliud polliceri possunt, nisi mor-

tem sempiternam: Deus autem salutem pollicetur, et certissime praestabit, si fidelem illi subiunctionem et obedientiam exhibebo.

2. *Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.* Non solum, inquit, ab ipso pendet salus mea, sed ipse est *Deus meus, salutaris meus, susceptor meus*, quippe qui nunc suscepit protegendum, tunc suscipiet coronandum: ideo *non movebor*, sed fortis permanebo, quamvis tentationibus quatiar. Illud *amplius* hic ex hebraeo non significat imposterum, sed multum, sive valde.

3. *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tanquam parieti inclinato, et maceriae depulsae?* Convertitur a se ad deplorandam stragem animarum, quam per arma variarum concupiscentiarum maligni spiritus quotidie faciunt. Itaque indignabundus adversus malignos spiritus dicit: *Quousque irruitis in hominem?* id est, quousque non cessatis insidiando generi humano *irruere in hominem? interficitis universi vos*, id est, undique editis stragem animarum universi vos maligni spiritus, *tanquam parieti inclinato*, etc., subintelligitur, vim facitis humano generi, ex peccato originis sauciato, et ad malum prono, *tanquam parieti inclinato ad ruinam, et maceriae depulsae e loco suo, et libella, etiam proclivi ad casum.*

4. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Hoc dicit iustus: Hostes spirituales ideo tentant, ideo impugnant, ideo concupiscentias excitant, ut *pretium meum a me repellant*, id est, dignitatem, atque honorem illum magnum aeternae gloriae, qua ipsi sua culpa exciderunt, mihi auferant. Ita illud *pretium* intelligunt s. Augustinus,

Ambrosius, Hilarius, Basilius et Theodoretus. Sed ego e contra, *cucurri in siti*, id est, magno ardore cucurri ad bravium supernae vocationis. *Ore suo benedicebant*, etc., id est, ore suo blandiebantur hortantes ad voluptates vitae praesentis, tanquam res bonas, atque utiles, atque interim *corde maledicebant*, scientes eas ipsas voluptates esse venenum animae, etc.

5. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.* 6. *Quia ipse Deus meus et salvator meus: adiutor meus, non emigrabo.* 7. *In Deo salutare meum et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Q. d. Quantumvis hostes fremant, tu, anima mea, tacita et subiecta obedias Deo, *quoniam ab ipso patientia mea*, id est, ipse tibi praestabit auxilium. Nam nomine patientiae hic significatur patiens expectatio auxilii divini. Illud *non emigrabo*, est eadem vox antea versa, *non movebor*, scilicet, non deiciar de statu meo, non emigrabo ad partes hostium, sed immotus in castris Dei permanebo. Concludit in 7 versu, se omnia a Deo expectare, finem videlicet et media. Finis est liberatio ab omnibus malis et adeptio summi boni: illud significatur per salutem, hoc per gloriam: media sunt auxilium Dei et spes nostra.

8. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in aeternum.* Hortatur nunc caeteros ad virtutem, quam ipse dono Dei acceperat: ac primum monet sperandum esse in Deo, deinde addit, non esse sperandum in rebus creatis. *Sperate*, inquit, *in eo*, id est, in Deo, *omnis congregatio populi*, id est, omnis populus, omnes homines. *Effundite coram illo corda vestra*, evacuantes ea sordibus, ut ait s. Ambrosius. Effusio cordis iuxta eundem significat

confessionem sinceram et apertam, qua confitemur peccata et miserias nostras, et ex intimo corde oramus Deum, ut misereatur; nam sequitur, *Deus adiutor noster in aeternum*, id est, secure confitemini Deo aerumnas vestras, et orate eum, nam *adiutor noster* est, et nunquam despiciet orationem sperantium in se.

9. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Quoniam animadvertit Propheta, paucos esse qui consilium suum sequi velint, ideo invehitur in multitudinem iniquorum. *Verumtamen vani filii hominum*, quia maxima pars hominum vacua est vera sapientia: ideo autem plerique homines vani et insipientes sunt, quia *mendaces sunt in stateris, ut decipiant*, sive ad decipiendum, id est, in stateris dolosis, fraudulentis. Agitur autem hic (ut observat s. Basilius) de *stateris* communibus toti humano generi, sive de iudicio rectae rationis, quod nobis datum est a Deo, ut discernamus, et quasi *in statera* appendamus vera bona et vera mala, et haec vitemus, ac illa eligamus: maxima autem pars hominum mentitur sibi et aliis, seque decipit et alios, cum enim appenduntur *in statera* lucrum temporale et offensio Dei, lucrum praeponderat et praeeligitur, etc. *Ipsi de vanitate in idipsum*, id est, ipsi vani et mendaces *in idipsum* conveniunt, et uniti sunt in hoc, ut vani sint et *mendaces*. Ita Bellarminus. Vel vana et mendaci statera, ob res futiles alter alterum deprimunt et decipiunt, *in idipsum*, id est, simul omnes. Ita Le Blanc et Tirinus.

10. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiae si affluent, nolite cor apponere.* Redit ad exhortationem, ac praecipue, ut caveatur avaritia, quae est *radix omnium malorum*,

et ait: *Nolite sperare*, etc. Hoc loco prohibetur lucrum iniustum, tum ex occulta iniustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est rapientium. Additur: *Divitiae si affluunt, nolite cor apponere*, id est, ad opes etiam iusto titulo acquisite nolite affectum ponere.

11. *Semel locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* Concludit rationem reddens, cur non sint appetendae divitiae, et cur ab omni peccato cavendum sit. *Semel*, inquit, *locutus est Deus*, id est, firmiter et inconcusse statuit Deus, et nobis significavit. *Duo* autem, quae David potissimum *audivit*, et nobis omnibus nuntiavit, haec sunt: Unum quod potentia et misericordia in Deo sint, illa ut timeatur, ista ut ametur; alterum quod *unicuique reddat secundum opera sua*, ita ut neque iniuste oppressurus sit per potentiam, neque misericordia eius sit praeiudicatura iustitiae. Ita s. Hieronymus, Hilarius, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus, Le Blanc et alii. Caeterum, qui ista *duo* serio cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

Synopsis

Est oratio Davidis, qui occasione deserti, in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, et sibi similitum iustorum et desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi huius ad patriam coelestem. Titulus psalmi est: Psalmus David, Cum esset in deserto Idumaeae, vel ut in hebraeo, graeco et chaldaeo est, Iudaeae. I. Reg. XXII, XXIII.

1. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* 2. *Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea!* Describit vir iustus, quae sint prima opera sua oriente die: ac dicit esse, quaerere Deum, desiderare Deum, miserias suas confiteri Deo, etc. *Deus, Deus meus*, id est, tu; *Deus*, es fortitudo et robur meum; quia sine te nihil sum et nihil possum, *ad te de luce vigilo*, id est, cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis, ad te lucem increatam: atque ita ad te quaerendum vigilare incipio. Id autem facio, quia *in te sitivit anima mea*, id est, quia *anima mea* desiderat te ut cibum et potum suum, ut lumen et laetitiam suam: ipsa etiam *caro mea* multis modis sitivit tibi, seu ad te fontem omnium bonorum: quamvis enim caro non proprie Deum sitiat, tamen sitire dicitur, quia indiget eius misericordia ob multiplices miserias suas; quemadmodum terra arida dicitur sitire pluviam, sine qua nihil boni producere potest.

3. *In terra deserta, et invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.* Id est, *in terra deserta*, nullis hominum trita vestigiis, et aqua carente, in qua modo

exul dego, perinde me tibi obtuli, atque in medio tuo tabernaculo; ut in oratione illustratus cernerem summum robur tuum in servis tuis protegendis et *gloriam* in coronandis. Ita Theodoretus, Tirinus et Le Blanc. Verum Bellarminus ex s. Augustino paulo aliter exponit et ait, Davidem in persona sua, et aliorum in hoc mundo peregrinantium dicere: Ego in hoc deserto positus, et sitiens aquam de coelo, et exitum felicem invenire cupiens, de mane *vigilans* mente conscendi ad sanctuarium tuum coeleste, et *sic in sancto apparui* coram te, ut meditando et contemplando *viderem virtutem et gloriam tuam*, quoniam in deserto mundi non videmus, nisi temporalia, fragilia et vilia, etc.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas; labia mea laudabunt te.* Sensus est: *laudabunt te* assidue *labia mea*, quoniam *misericordia tua*, et consolatio spiritualis, quam in hac solitudine experior *melior*, mihi que suavior est *super vitas*, id est, plus quam vita quaevis corporalis, quantumcunque longa, deliciosa, felix, etc. Caeterum, quia nomen hebraeum *chaym*, vitae, numero singulari caret, versum est *vitas*, non vitam.

5. *Sic benedicam te in vita mea; et in nomine tuo levabo manus meas.* Sic scilicet assidue laudando *benedicam te in vita mea*, id est, quidquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum, benedicam tibi in omni tempore; *et in nomine tuo levabo manus meas*, id est, in invocatione nominis tui levabo in oratione manus meas, a te solo expectans auxilium in adversis; et tibi vicissim gratias agens in prosperis. Porro ritus levandi manus in oratione in utroque testamento in usu fuit. Exodi xvii et I. Tim. ii.

6. *Sicut adipe et pinguedine repletur anima*

mea : et labiis exultationis laudabit os meum. Hoc est quod petebat levans in oratione manus suas ad Deum, nempe ut *anima repleatur* coelesti gratia et consolatione, *sicut adipe pingui*, inquit s. Hieronymus, et sic labiis exultationem resonantibus *laudabit Deum os meum.*

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te; quia fuisti adiutor meus.* Significat, se perpetuo recordaturum Dei et beneficiorum eius. *Si*, inquit, *memor fui tui* nocte etiam profunda, dum adhuc iacerem *super stratum meum*, multo magis interdium, atque adeo tempore matutino surgens *meditabor in te*, id est, de te cogitabo et considerabo potentiam tuam et gloriam tuam, *quia tu semper fuisti adiutor meus*, id est, ideo semper recordabor tui in gratiarum actione, quia tu semper recordatus es mei in auxilio et protectione. Ita Iansenius, Le Blanc, Bellarminus, Tirinus et alii.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* Id est, continebo me etiam sub *umbra alarum tuarum*, et in protectione tua sperans *exultabo securus*. Et ex hac protectione, et tam ingentibus beneficiis provocata *anima mea adhaesit* glutino fortissimae caritatis *post te*, id est, vestigiis tuis inhaesit, tibi obediendo, te sequendo, etc. Ita fere s. Augustinus et Theodoretus. *Me suscepit dextera tua*, id est, ideo sequor te, quia tu me traxisti, ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, ac ut te diligerem, tu me diligendo fecisti.

9. *Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terrae: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* In duobus ultimis versibus praedicat propheta interitum eorum, qui iustos persequuntur; et deinde felicitatem ac beati-

tudinem sempiternam iustorum. *Ipsi* videlicet hostes mei, frustra laborant, ut vitam mihi eripiant: hiatu terrae haurientur, et in ima praecipitia devolventur; multique victorum gladio caesi, in mediis agris iacebunt, praeda vulpium, quibus maxime abundat Iudaea, ut patet ex 300 vulpibus Samsonis. Ita Tirinus et Le Blanc; vel ut cum aliis Bellarminus exponit: *In vanum quaesierunt animam meam*, id est, frustra conati sunt vitam meam tollere, *introibunt in inferiora terrae*, id est, infra terram deiicientur, in inferno cogentur habitare: *tradentur in manus gladii*, id est, in potestatem tormentorum: *partes vulpium erunt*, id est, non dominabuntur amplius super homines iustos, sed ipsi subiecti erunt daemonibus, quasi pars et haereditas ipsorum. Vocantur autem daemones potius *vulpes*, quam lupi, leones, etc., quia astutia vulpina potissimum peccatores capiunt, sibi que subiiciunt.

10. *Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua*. Ecce quomodo omnino in vanum laboraverunt impii iustos perseguendo; nam horum *Rex*: Christus, de quo dixerunt Iudaei, *Tolle, tolle, crucifige eum*, et cuius nomen pagani delere totis viribus laborarunt, et omnes impii contradicebant, vivet et regnabit in saecula, et *laetabitur in Deo*, sedens gloriosus in dextera Patris, et *laudabuntur in die iudicii omnes qui iurant in eo*, qui videlicet hoc tempore, non obstantibus persecutionibus, illi fidelem obedientiam iurant: *laudabuntur*, inquam, omnes, Christi fideles, *quoniam obstructum est os loquentium iniqua*, id est, obstruetur in die novissimo os omnium iniquorum; tunc enim veritas manifesta erit et nemo erit, qui eam inficiari possit. Le Blanc, Tirinus et alii quidam hos duos versus

de Davide exponunt, nos tamen cum Bellarmino s. Hilarium et s. Augustinum sequentes intelligimus de iustis in universum, et eorum capite ac rege Christo, ut doctrina et consolatio ss. Scripturarum ad plures pertinerent.

PSALMUS LXIII.

Synopsis

David contra hostiles insidias et calumnias opem divinam implorat, praedicitque earum auctores magna iustorum voluptate oppressum iri. Nos hic rursus persequemur expositionem Ss. PP. qui de Christo potissimum totum hunc psalmum explicaverunt.

1. *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.* More suo propheta primum petit exaudiri, deinde exponit quid cupiat, scilicet *a timore inimici eripe animam meam*, quod duobus modis intelligi potest: 1. ut petat liberari a timore inimici volentis interficere, tollendo materiam timoris; deinde, ut petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo caritatem et constantiam; et in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum locutus est, in priore autem etiam in sua persona locutus esse videtur: sicut enim in horto pridie passionis timere et pavere dignatus est et orare: *Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc a me*, Marc. xiv; sic hoc ipsum per prophetam praedicere voluit.

2. *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.* Ostendit Christus se exauditum fuisse, et quod de se dicit in

praeterito, idem membris suis promittit in futurum. Deus enim Christum protexit, ut neque conventus malignantium Iudaeorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret: permisit quidem Deus Christi carnem flagellari, etc., sed et flagella, et mors mundi salutem operata, in gloriam et triumphum versa sunt; et quod in capite praecessit, in membris quoque factum est et fiet.

3. *Quia exaceruerunt ut gladium linguas suas; intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Haec referuntur ad conventum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus; nimirum consultando, accusando, insistendo apud iudicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret: comparat autem propheta verba malignantium Iudaeorum *gladio et sagittis*, quia gladius de proximo ferit et praesentem, *sagitta* longe positum et absentem; sic etiam *linguae* Iudaeorum contra Christum praesentem et absentem pugnaverunt. *Quia exaceruerunt ut gladium linguas suas*, ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum eum examinarent; et lethifero ictu eum occiderent. *Intenderunt arcum rem amaram*, non solum palam quasi *gladio* ferierunt; sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi *sagittas* tetenderunt, ut constat ex Evangeliiis. *Intenderunt arcum rem amaram*, id est, insidias tetenderunt quae insidiae res amarae ac lethiferae erant, *ut sagittent*, vel sagittarent *in occulto*, scilicet ex insidiis *immaculatum*: hic enim erat scopus insidiarum, ut Christum maculatum et peccatorem, id est, blasphemum, seductorem, etc., falsis testimoniis ostenderent, qui revera immaculatus erat.

4. *Subito sagittabunt eum et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.* Praevidebat Spi-

ritus s. et praedicebat obstinationem pene incredibilem Iudaeorum. *Subito*, sive de improvviso *sagittas* insidiarum in eum emittent, *et non timebunt*, id est, audacter *sagittabunt*, non cogitantes timorem Domini: nec formidabunt divinum iudicium, et ideo non timebunt *sagittare* immaculatum quia *firmaverunt*, etc., id est, obstinati et obdurati sunt, et iam stabilierunt firmiter sententiam illam plenam iniustitiae, qua semel dixerunt: *Reus est mortis*.

5. *Narraverunt ut absconderent laqueos, dixerunt: quis videbit eos?* Addit propheta ad obstinationem malignantium Iudaeorum, etiam hypocrisin, qua tegere voluerunt invidiam et malignitatem suam. Christum enim propter invidiam persequerantur, quod Pilato quoque notum erat. Matth. xxvii, sed illi hanc invidiam tegebant, dicentes: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, etc., item: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris, omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari*. Hoc ergo est, quod dicit, *Narraverunt ut absconderent laqueos*, id est, inter se tractarunt, dixerunt intra se: Abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob iniuriam Caesaris, etc., quis videbit hanc simulationem? quis propterea nos puniet?

6. *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio*. Pergit propheta in explicanda et amplificanda malignitate iudaica, ac dicit, Iudaeos non contentos insidiis et hypocrisi, addidisse ut diligentissime *scrutarentur*, et investigarent iniquitates, si quas invenire possent in Christo; sed *defecerunt scrutantes scrutinio*, id est, frustra *scrutati sunt*, quia nihil invenerunt, quod vel colorem veritatis habere videretur: et quia Dei iudicio tanta caecitate percussi sunt, ut non adverterent, se ab omnibus deridendos, quod etiam dormientes testes adduxis-

sent, cum ad custodes sepulcri dixerunt: *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, vobis dormientibus*, Matth. xxviii, quam caecitatem notavit et expendit s. Augustinus.

7. *Accedet homo ad cor altum; et exaltabitur Deus*. Exposita perversitate Iudaeorum et malignantium inimicorum, praedicat nunc propheta, quid Christus egerit tempore tantae persecutionis. *Accedet homo ad cor altum*, id est, Christus qua homo ingreditur ad cor suum profundum et secretum, quo disposuit obicere Iudaeis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Ita s. Augustinus. *Et exaltabitur Deus*, id est, humiliabit se, ut homo, *exaltabitur ut Deus*, quia tunc maxime demonstrabitur sapientia divina vincens malitiam humanam, quando apparebit, Christum moriendo mortem destruxisse, et resurgendo vitam reparasse.

8. *Sagittae parvulorum faciae sunt plagae eorum; et infirmatae sunt contra eos linguae eorum*. Hoc fecit potentia et sapientia Dei, de qua dictum est, *et exaltabitur Deus*, ut plagae ab adversariis Christo inflictas, tam parum illi nocuerint, ac si factae essent a *sagittis infantium parvulorum*; nam et tela infantium leves festucae sunt, et manus eorum infirmae ac tenerae, quae nihil detrimenti afferre possunt. *Et infirmatae sunt contra eos linguae eorum*, id est, et calumniae ac blasphemiae eorum infirmatae sunt, quia nihil ei nocere potuerunt, et quidem infirmatae sunt *contra eos*, id est, in detrimentum et poenam ipsorum calumniantium et blasphemantium. Atque hoc ipsum de persecutoribus Martyrum omniumque iustorum dici potest; dies enim iudicii ostendet, quam parum, aut potius nihil eis nocuerit crudelitas persecutorum quando sta-

bunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.

9. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos; et timuit omnis homo.* Explicat propheta, quid consecutum sit ex eo, quod per Christi resurrectionem factae sint Iudaeorum sagittae, *sagittae parvulorum, et infirmatae sint*, ac prorsus evanuerint calumniae et contumeliae eorum. Nam *conturbati sunt omnes qui videbant eos*, Iudaeos videlicet attonitos et confusos, quando ab apostolis audiebant, eum quem occiderant, resurrexisse a mortuis, ascendisse in coelum, etc., et ea quae audiebant, signis magnis et divinis approbari cernebant. Et tunc *timuit omnis homo*, id est, omnes qui recta ratione utebantur, coeperunt contremiscere et dicere: *Quid faciemus, viri fratres?* De hoc timore scribitur Act. II.

10. *Et annuntiaverunt opera Dei; et facta eius intellexerunt.* Illi, qui sancto timore correpti sunt, ac imprimis apostoli, *annuntiaverunt opera Dei*, id est praedicare coeperunt Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, etc. *Et facta eius intellexerunt*, particula *et* sumitur hic pro quia, ut saepius alias, quia apostoli et a Christo post resurrectionem, et a Spiritu sancto edocti *facta eius intellexerunt*, et eadem toti mundo praedicaverunt.

11. *Laetabitur iustus in Domino et sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde.* Ex illa apostolica praedicatione sequetur, ut omnis vere iustificatus laetetur deinceps in Domino, et speret in eo: et tandem in fine saeculorum, *omnes illi qui recti sunt corde* in theatro totius mundi *laudabuntur*, sicut e contrario omnes pravi corde cum summa ignominia confundentur.

PSALMUS LXIV.

Synopsis

Psalmus hic intelligitur quidem de reditu filiorum Israël a captivitate in patriam; quia vero ea liberatio de captivitate typus fuit liberationis generis humani de captivitate diaboli, aliori sensu praedicitur conversio infidelium ad Ecclesiam, et reditus peregrinorum spiritualium ad patriam coelestem. Huic psalmo praemittitur hic titulus: In finem, Psalmus David. Canticum Ieremiae et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire. In hoc titulo tribuitur hic psalmus (qui revera Davidis est) Ieremiae, Ezechieli, non quod ab ipsis cantatus fuerit, quando populus incipiebat exire ex captivitate Babylonica (nam uterque probabilius tum non amplius erat in vivis); sed ideo, quoniam isti duo Prophetas praedixerunt reversionem populi de Babylone in Ierusalem, et sic fingitur psalmus decantatus ab his Prophetis initio egressionis Hebraeorum de captivitate. Ita fere Bellarminus.

1. *Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddetur votum in Ierusalem.* Id est, convenit omnino ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat in Sion, ubi scilicet nota est magnitudo tua, non in terra aliena, ubi dii lignei et lapidei, etc., laudantur. Convenit quoque, ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Ierusalem, ubi nota sunt beneficia tua et vota sacrificiorum, ubi est templum et altare tuo nomini dicatum, non in Babylone, ubi nec agnoscuntur beneficia tua, neque sunt templa et altaria, nisi idolorum vel daemonum.

2. *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.* Ex eo, quod debetur Deo laus in Ierusalem, orat populus, ut sibi concedatur ex captivitate redire in Ierusalem ad ipsum Deum laudandum; et

non solum optat sibi reditum concedi, sed ut omnes homines convertantur ad Deum, et veniant per fidem in Ierusalem, quae est in terris, sive ad ecclesiam, et postea per visionem in Ierusalem, quae est in coelis: sicut enim *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, I. Timoth. II; sic etiam populus Dei cupit et orat, ut omnes homines veniant ad Deum agnoscendum et laudandum, quod autem *omnis caro* significet omnes homines, perspicuum est ex multis Scripturae locis. Gen. VI, Ioël. II, Isai. XL, etc.

3. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos; et impietatibus nostris tu propitiaberis.* Haec est alia ratio, cur populus Dei (nam in huius persona propheta loquitur) petat a Deo liberari a captivitate, quia videlicet ex peccatis parentum traditus sit in captivitatem. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos*, id est, mala opera iniquorum parentum nostrorum *praevaluerunt super nos* filios eorum, nosque gravaverunt iugo durissimo captivitatis; sed tu, Pater misericordissimus, *propitiaberis impietatibus nostris*, quas a parentibus haereditavimus et quas ipsi superaddidimus. Quod hic per *verba* intelligantur *opera*, nemo mirabitur, qui in Scripturis versatus est II. Reg. I, Psalm. XXI et CIV, Luc. II, etc.

4. *Beatus, quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* Haec est tertia ratio, cur populus Dei desideret et oret revocari in patriam; quae ratio ducitur a felicitate patriae. *Beatus* est omnis ille, quem tu *elegisti* ab aeterno, et *assumpsisti* in tempore ad tantam dignitatem, ut sit civis sanctorum et domesticus Dei. Is enim *inhabitabit in atriis tuis*, id est, in *domo tua* manebit; ponitur pars pro toto.

5. *Replebimur in bonis domus tuae, sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* Bona spe fretus populus Dei, iam numerat se inter beatos illos, qui habitabunt in domo Dei. Quamvis autem hic versus etiam convenire possit terrenae Ierusalem, vel ecclesiae militanti, tamen absolute soli coelesti patriae convenit. *Replebimur in bonis domus tuae*, id est, replebimur ex *bonis domus tuae*, ut nihil nobis desit. *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*, in illa sancta civitate Ierusalem hoc erit prorsus mirabile, quod nos in Deo habitabimus tanquam in *domo*, et ipse habitabit in nobis tanquam in *templo*: *mirabile in aequitate*, id est, in iustitia. *Mirabile* enim valde erit, videre homines antea peccatores ad illam sanctitatem iustitiamque pervenire, ut evadant in *templum sanctum*, cuius sanctitatem et iustitiam ipsi etiam sancti angeli admirentur in coelis. Ita Bellarminus.

6. *Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae, et in mari longe.* Reddit ad orationem, et affert novum motivum ut *exaudiatur*, videlicet quia Deus salvator est, et in eo sperant omnes gentes. *Exaudi*, inquit, *nos, Deus*, dum a te petimus liberationem a captivitate et revocationem in patriam: *exaudiri* autem petimus confidenter, quia tu es salvator noster, qui saepe ab hostibus et persecutoribus nos salvasti: tu etiam es *spes omnium finium terrae*, id est, a quo omnia bona sperant, qui habitant in finibus terrae *et in mari longe*, id est, in remotissimis insulis.

7. *Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.* Addit aliam rationem a maxima Dei potentia, cui facile est, si velit, populum suum de captivitate liberare, atque ad patriam, unde pul-

sus erat, reducere. *Praeparans montes*, id est, tu es Deus ille potentissimus, qui *praeparasti*, sive stabilivisti (utrumque significat vox hebraea *cun*) montes altissimos *in virtute tua*, quia *accinctus* es, id est, ab omni parte circumdatus *potentia*: *Qui conturbas profundum maris*, excitans sonitum *fluctuum eius*.

8. *Turbabuntur gentes et timebunt*, qui *habitant terminos a signis tuis*: *exitus matutini et vespere delectabis*. Sicut propheta superius ostenderat potentiam Dei ex montium stabilitate, ita hic demonstrat sapientiam Dei, qui coelestibus signis nunc terret, nunc exhilarat humanum genus. *Turbabuntur gentes*, etc., id est, *turbabuntur et timebunt* omnes homines, usque ad illos qui *habitant terminos terrae*; *turbabuntur* autem, et *timebunt a signis tuis*, id est, videntes et audientes *signa tua* coelestia, coruscationes, tonitrua, fulgura, cometas. Cum autem placebit, iucundum facies aurorae exortum, radiis solis terram illustrantibus, et iucundum facies tempus vespertinum, luna et stellis coelum suo splendore condecorantibus. Et hoc significat illud *exitus matutini et vespere delectabis*, id est, exortum aurorae, et exortum crepusculi vespertini delectabiles facies. Ita Bellarminus, Le Blanc et alii.

9. *Visitasti terram et inebriasti eam*: *multiplicasti locupletare eam*. Potentiae et sapientiae Dei adiungit bonitatem. *Visitasti terram*, quae per se erat inanis et vacua; sed visitatione tua facta est foecunda et plena, nam *inebriasti eam*, id est, aquis ad satietatem irrigasti, et hac irrigatione *multiplicasti locupletare eam*, id est, multum valde locupletem et copiis omnibus refertam reddidisti.

10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum*: quoniam ita est *praeparatio eius*. Explicat

idipsum clarius. Per *flumen rivi* aquarum intelliguntur, et sensus est: *Flumen Dei*, id est, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram, pleni sunt aquis ex divina providentia et benignitate; sic enim tu, Deus, *praeparasti cibum illorum*, id est, hominum et animantium caeterorum: *quoniam ita est praeparatio eius*, id est, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irrigationem foecundetur et fructus suos pariat.

11. *Rivos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius laetabitur germinans.* Per rivos intelliguntur sulci terrarum, ut vertit Hieronymus, et sensus est: *Rivos eius inebria*, id est, perge, Domine, et sulcos terrae abundanter riga fluentibus aquis, et sic *multiplica genimina eius*, herbas, fruges, plantas, *in stillicidiis eius*, id est, guttis frequentioribus pluviae et roris, quibus terra irrigatur, *laetabitur germinans*, terra, seu id, quod germinat in terra.

12. *Benedices coronae anni benignitatis tuae; et campi tui replebuntur ubertate.* Id est, benedicendo benefacies totius anni revolutioni, quae instar *coronae* variis floribus ornatae a tua benignitate quasi semper renovatur; et ex hac benedictione *campi tui*, a te conditi et foecundati *replebuntur* abundantia omnium bonorum.

13. *Pinguescent speciosa deserti; et exultatione colles accingentur.* Nec solum campi replebuntur frugum ubertate; sed etiam loca deserta, quae solis pascuis deserviunt, et speciosa sunt ex multitudine et varietate herbarum ac florum sponte nascentium, *pinguescent* coelesti rore, et *colles* pariter deserti et inculti herbescente viriditate ita vestientur, ut ex omni parte laetari et *exultare* videantur.

14. *Induti sunt arietes ovium, et valles abunda-*

bunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. In summa, foecunditas erit maxima, et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. *Induti sunt arietes ovium,* supplendum est, densis et pulcris velleribus ex pinguedine pascurorum. Sive ut alii exponunt, *ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes* sive agni, qui pauci antea erant. *Et valles abundabunt frumento,* id est, loca deserta abundabunt pecore, et valles cultae abundabunt frumento; *clamabunt, etc.,* unde summo gaudio *clamabunt* passim homines ob tam laetos frumenti et arietum proventus. Porro haec omnia s. propheta in laudem potentiae et sapientiae, et bonitatis Dei cecinit; ut inde argumentum duceret, quo probaret sperandum esse, et cum fiducia a tam potente, sapiente et bono Deo petendam liberationem a captivitate et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium, et beneficiis Dei in Ecclesiam, ut tradit s. Augustinus et Theodoretus.

PSALMUS LXV.

Synopsis

Est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta felicitate post omnes finitas calamitates; quod erit in resurrectione. Hinc forte psalmo praeficitur iste titulus: In finem, Canticum psalmi resurrectionis.

1. *Iubilare Deo, omnis terra: Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.* Invitat ad iubilandum et psallendum Deo omnem terram, id est, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa laetandi in communi resurrectione iustorum. Tria autem vult exhiberi, iubilum, quod

magis in affectu, quam in verbis positum est, sonum psalterii et vocem humanam.

2. *Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuae, mentientur tibi inimici tui.* Haec est materia laudis Dei, opera summae potentiae et sapientiae. *Dicite Deo*, dum eum laudatis, *Quam terribilia sunt opera tua, Domine!* id est, opera tua prae magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. *In multitudine virtutis tuae, etc.*, id est, tanta est virtus et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse iactabant. Exempla sunt in Scripturis non pauca. IV. Reg. vii, psalm. LXXVII et alibi.

3. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psallum dicat nomini tuo.* 4. *Venite et videte opera Dei; terribilis in consiliis super filios hominum.* Iterum excitat propheta universos homines qui terram incolunt ad Deum vero corde adorandum et laudandum. Atque ut maiore affectu id faciant, hortatur ad considerata opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendarum supra omnes filios hominum.

5. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede; ibi laetabimur in ipso.* Ponit duo exempla operum mirabilium Dei, quae nullo humano consilio unquam fieri potuissent. *Qui convertit mare in aridam*, hoc est primum opus, quod narratur Exod. xiv. Fecit enim Deus, ut siccaretur mare rubrum, ut filii Israël libere pertransirent. *In flumine pertransibunt pede*, hoc est alterum, quod refertur Iosue iii. Rursus enim Deus fecit ut Iordanis fluvius siccaretur, ut filii Israël sicco pede flumen traicerent. *Ibi laetabimur in ipso*, id est, ubi haec facta sunt, *ibi laetati sumus in ipso*; non in

nobis gloriati sumus, quasi nostra haec essent opera, sed in Deo laetati et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur Exod. xv. Caeterum utitur hic propheta tempore futuro pro praeterito; quam temporum mutationem prophetis familiarem esse, saepe iam diximus.

6. *Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi eius super gentes respiciunt; qui exasperant, non exallentur in semetipsis.* Haec videtur digressio ad impios, qui Deo subiici, eumque laudare contempnunt. Eos enim admonet omnipotentiae et omniscientiae Dei, ut vel timore poenae resipiscant. *Qui dominatur in virtute sua in aeternum*, id est, ille, qui ex potentia sua sibi propria *dominatur* aeterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia; ideo *qui exasperant* sceleribus suis tam potentem et sapientem Dominum, *non exallentur in semetipsis*, non superbiant, non glorientur de suis viribus, quia Dei scientiam et potentiam effugere non possunt.

7. *Benedicite gentes, Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius.* Illa digressionem praemissa, repetit exhortationem, quam supra posuerat. Itaque tertio iam invitat omnes gentes ad *benedicendum* Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad praedicandas *laudes eius* tam clara voce; ut ab omnibus audiantur.

8. *Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.* Aperit causam cur tanto ardore cupiat, Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis *vitam* suam liberaverit. *Qui posuit animam meam ad vitam*, id est, laudari cupio Deum, qui fecit, ut *anima mea* non periret, et qui me labi non permisit. Haec dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad

portum salutis tandem aliquando perveniunt. Unde illud *posuit* iuxta Bellarminum significat ordinavit, sive praeordinavit, vel praeordinavit, ut sensus sit: qui me praeordinavit *ad vitam*, sive qui me posuit in numero eorum, qui victuri sunt in aeternum. Quod autem sequitur, *et non dedit in commotionem pedes meos*, ad donum perseverantiae pertinet, quod est proprium praeordinatorum *ad vitam*; quos enim Deus praeordinavit, eos etiam conservat, protegit, ac dirigit, ut non cadant ad dexteram vel sinistram.

9. *Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Variis metaphoris explicat propheta tribulationes iustorum: ac primum metaphora fornacis probantis *argentum*, ut significet, iustis a Deo permitti tribulationes, non, ut laedantur, sed ut probentur, vel probati et puri, sinceri, fideles inveniantur.

10. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.* Descendit nunc ad particulares afflictiones sub aliis metaphoris. *Induxisti nos in laqueum*, id est, in captivitatem nos tradidisti, *posuisti tribulationes in dorso nostro*, nos more iumentorum onerari, et caedi verberibus permisisti, *imposuisti homines super capita nostra*, id est, permisisti ut homines pedibus suis *capita nostra* calcarent, quasi nobis iure belli devictis et triumphatis. Hic ergo propheta miro artificio iustos toto corpore afflictos demonstrat; nam laquei ad manus et pedes, onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

11. *Transivimus per ignem et aquam; et eduxisti nos in refrigerium.* Est alia metaphora, qua propheta sub aspectum ponit supplicia sanctorum, quae

subierunt antequam venissent ad *refrigerium*. Per *ignem* intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, caedes, combustio, etc.; per *aquam*, supplicia lenta, sed diuturna, exilia, carceres, nuditas, fames, etc.

12. *Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.* Haec videtur esse conclusio ex iis quae dicta sunt, q. d. *Tu eduxisti nos in refrigerium postquam transivimus per ignem et aquam: introibo igitur in domum tuam, ad quam te duce, te defensore perveni: Introibo autem in holocaustis, id est, offeram sacrificium gratiarum actionis. Reddam tibi vota mea, etc., id est, illa oblatio holocausti debita est, quoniam id vovi, dum essem in tribulatione positus. Illud: quae distinxerunt labia mea, significat, quae distincte pronuntiavi, et promisi tibi.*

13. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.*
 14. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.* Explicat, quae ipse vota voverit in tribulatione sua: et dicit, se vovisse sacrificia pingua omnium pecorum, quae in *holocaustis* secundum legem offerri possunt. Ea autem tria tantum erant, *arietes, boves et hirci*, sed nomine *arietum* intelliguntur etiam agni, et nomine *bovum* intelliguntur etiam vituli; et nomine *hircorum* intelliguntur etiam haedi. Caeterum dicuntur holocausta medullata; quae offeruntur in coelis, actiones gratiarum, confessiones; et laudes ex intimo corde, et ex pinguedine verae caritatis profectae.

15. *Venite, audite, et narrabo omnes qui timeatis Deum, quanta fecit animae meae.* Hortatur in fine propheta in persona beatorum, nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in sanctos collata, et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia de-

neficia recipiamus, et ad eandem quietem, et gloriam aliquando perveniamus. *Venite, audite omnes, qui timetis Deum, et narrabo vobis, quanta fecit animae meae.*

16. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.* Hoc est primum donum Dei, quod animae suae datum dicit electorum coetus, qui in hoc psalmo loquitur. Dedit scilicet fidem, et spiritum orandi, et sic *ad ipsum ore meo clamavi.* Addit deinde secundum beneficium, *et exaltavi sub lingua mea,* id est, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursum alia mererer accipere. Atque hoc totum, ut orarem et laudarem, ipse fecit. Illud *sub lingua mea,* idem est, quod *lingua mea,* vel *in lingua mea.* Ita Euthymius.

17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Hoc est tertium beneficium quod accepit a Domino, ut videlicet Deo illuminante agnosceret, quid sit, quod impedit ne oratio *exaudiatur*; scilicet peccatum. Et quoniam hoc odio habuerunt electi, ideo subiungit propheta in persona populi electi:

18. *Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meae.* Quia ipse scrutatur corda, et vidit mihi serio displicere peccata, et faciem cordis me avertere ab omni iniquitate.

19. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.* Ergo *benedictus sit,* et in perpetuum laudetur *Deus,* qui *tanta fecit animae meae,* quorum summa est, quod *non amovit a se orationem meam, nec amovit a me misericordiam suam.* Ita *miseriordia* eius perseverante mecum, perseveravi et ego in via mandatorum ipsius, et perseverantiae praemium iam obtinui, liberationem a captivitate et reditum in coelestem Ierusalem.

PSALMUS LXVI.

Synopsis

Est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messiae et redemptionem generis humani.

1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat: Utinam *Deus misereatur nostri* secundum magnam illam misericordiam, qua mittat ad nos, quem misurus est, et ex hoc affectu misericordiae paternae *benedicat nobis*; benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed *illuminatio vultus sui super nos*, illuminat autem super nos vultum Deus, quando praestat, ut eum quasi remoto velamine intueamur, quod maxime praestitit, quando per incarnationis mysterium *in terris visus, et cum hominibus conversatus est*, ut dicitur Baruch c. III. Et quoniam haec est misericordia, quam initio petiit, repetit, *et misereatur nostri*, sic scilicet illuminando vultum suum super nos.

2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Haec est ratio, cur tanto ardore desideretur *illuminatio vultus Dei*, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa *viam Dei*; haec autem *via* sine dubio Christus est: *In omnibus gentibus salutare tuum*, id est, et ut cognoscatur inter omnes gentes salvator tuus: clarins haec habentur in hebraeo: *ut nota fiat in terra vita tua, in omnibus gentibus salvator tuus*, quod etiam Isaias praedixit, cum ait: *Videbit omnis caro salutare Dei*, ut refert s. Lucas c. III.

3. *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes.* Id est, ob hoc tam insigne et tam universale donum, omnes populi *confiteantur* tibi confessionem laudis, et gratiarum actionis. Cesset cultus et veneratio falsorum deorum, tibi uni vero Deo ab *omnibus populis* honor divinus exhibeatur.

4. *Laetentur et exultent gentes; quoniam iudicas populos in aequitate, et gentes in terra dirigis.* Omnes videlicet homines gaudeant, *quoniam* tu Deus, per Christum tuum *iudicas populos in aequitate*, id est, ablato iugo tyrannicae potestatis principis tenebrarum harum, regnum iustissimum in ecclesia constituisti. *Et gentes in terra dirigis*, regens eas per saluberrimas leges a Salvatore datas ad portum salutis aeternae. Quae licet futura essent, tamen propheta spiritu Dei videbat ea, tanquam praesentia.

5. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes; terra dedit fructum suum.* Exhortatur iterum, ut *populi omnes* Deum laudent, quoniam *terra dedit fructum suum*, scilicet nobilissimum, quem unquam edidit, nempe Christum ex *Maria terra* virgine prognatum, ut ait s. Hieronymus et Euthymius, et cum Christo, ac per Christum immensam bonorum operum messem, ut ait s. Augustinus. Utitur propheta tempore praeterito pro futuro, quia in eius praenotione iam factum erat, quod nobis futurum praedixit.

6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.* Ergo deinceps haec grata sit vicissitudo, ut Deus nos omni benedictione impleat, et contra omnes homines usque ad ultimos terrae fines habitantes, Deum verum timeant, reddentes ei tributum obedientiae et laudis usque in aeternum. Porro trina illa repetitio nominis Dei insinuat mysterium ss. Trinitatis,

quae operata est incarnationem Filii Dei. Secundo autem loco non dicitur simpliciter Deus, sed cum addito Deus *noster*, id est, Emmanuel, propter personam Filii, qui per incarnationem singulari modo noster effectus est, inquit s. Hieronymus et Genebrardus.

PSALMUS LXVII.

Synopsis

Ss. Hilarius et Hieronymus recte docent, in hoc psalmo decantari mysteria utriusque Testamenti: describitur enim descensus Domini in montem Sina ad legem populo dandam, et Christi ad coelum ascensio, et alia id genus mysteria. Est autem psalmus plenus figuris, metaphoris et poëticis descriptionibus, ut propterea quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior.

1. *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius: et fugiant, qui oderunt eum a facie eius.* Haec sunt verba quae a Moyse dici solebant, cum elevaretur arca, et populus migrare inciperet; quibus verbis Moyses precabatur Deum, ut arca exurgente et praecedente populum, ipse quoque surgere dignaretur, et protectione sua populum securum redderet. David igitur Moysen imitatus, et praevidens Christi resurrectionem, per quam arca humanitatis eius elevanda erat, et ipse dux futurus erat omnibus electis ad terram verae promissionis, dicit: *Exurgat Deus*, id est, resurgat a mortuis Christus Deus, et sic elevetur arca, et populum Dei praecedat ad coelestem Ierusalem, et *dissipentur, etc.* Ita PP. communiter.

2. *Sicut deficit fumus deficiant; sicut fluit cera*

a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Celeritas et facilitas qua praesentia Christi dissipat peccatores, non poterat aptius depingi, quam similitudine fumi, qui a vento dispergitur, et cerae quae coram igne liquescit et consumitur.

3. *Et iusti epulentur et exultent in conspectu Dei; et delectentur in laetitia.* Iniquis persecutoribus turbatis, hoc sequitur, ut iusti fruantes praesenti auxilio Dei securi reficiantur alimonia tum corporali, tum spirituali, et gestiant prae gaudio, sed ea modestia et gravitate, quae decet eos, qui sciunt se a Deo semper videri, et ex ea *laetitia delectationem* capiant.

4. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius; iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.* Haec dicuntur ad apostolos aliosque primos fideles ex consensu veterum latinorum et graecorum. *Cantate Deo, vos primitiae credentium, psalmum dicite nomini eius, laudate Deum voce et opere, iter facite ei, qui ascendit super occasum,* id est, parate viam Domino praedicationibus vestris, ut is, qui iam ascendit super occasum, id est, qui supergressus est omnem corruptionem et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras praedicationes aditum apertum et paratum inveniat. *Dominus enim nomen est illi, et ideo iure suo regnare debet.*

5. *Exultate in conspectu eius, turbabuntur a facie eius, patris orphanorum et iudicis viduarum.* Vos qui paratis viam Domino, *exultate in conspectu eius, nec timeatis eos qui vos turbant persecutionibus suis; nam ipsi turbabuntur suo tempore a facie Dei, qui est pater orphanorum et iudex viduarum,* id est, omnium desolatorum et afflictorum.

6. *Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabitare*

facit unius moris in domo. Deus enim est in mentibus *orphanorum et viduarum* (per hos enim potissimum intelliguntur illi homines qui non agnoscunt in terris patrem, neque sponsum, sed Deum solum habent pro patre et sponso, et in illo solo confidunt, eum solum diligunt). Et ipse Deus est, qui facit sibi hanc domum, dum *habitare facit unius moris in domo*, id est, unanimes, concordēs, in eadem religione et iisdem ritibus habitare facit in ecclesia. Ita Hilarius, Hieronymus, Augustinus, etc.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* Declarat magnam pietatem Dei, qui non solum *unanimes facit habitare in domo*, sed etiam ligatos vinculis peccatorum *educit* de captivitate *in fortitudine* brachii sui, et quod magis est admirandum, *eos qui exasperant*, per incredulitatem ipsum Deum, et qui quasi iam mortui *habitant in sepulcris* profundissimae iniquitatis, eos quoque potentia gratiae suae reducit ad vitam et *habitare facit unanimes in domo*. Aliqui hunc versum intelligunt de liberatione a captivitate aegyptiaca et babilonica: quidam de educatione patrum e limbo.

8. *Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum petransires in deserto;* 9. *Terra mota est, et enim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israël.* Iam ut credibilia faciat propheta beneficia redemptionis Christi, commemorat beneficia antiqua, quae figura erant futurorum beneficiorum. *Deus, inquit, cum egredereris in conspectu populi tui*, id est, cum coram populo tuo praecederes per angelum tuum in columna nubis per diem, et ignis per noctem: eo tempore *cum petransires in deserto*, post transitum maris rubri; tunc *terra mota est*,

quando tremere coepit a conspectu Dei descendentis in montem Sinai, cum illic lex daretur, et etiam *coeli distillaverunt* pluvias, grandines, fulmina, manna, coturnices, ita s. Hilarius. Dicitur autem *Deus Sinai, Deus* qui apparuit in monte Sinai.

10. *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, haereditati tuae; et infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Patribus in deserto coelum *distillavit* te iubente pluviam, id est manna: sed *haereditati tuae*, id est, ecclesiae tuae, quam tibi tanquam propriam haereditatem vindicasti, *segregabis pluviam voluntariam*, id est, *pluviam* spontaneam quae ex se descendit: haec vero *pluvia* gratia est Spiritus s. quae *voluntaria*, sive spontanea dicitur, quia non descendit ex meritis operum, quasi vaporibus terrae sursum elevatis, sed sponte sua Spiritus s. infundit corda fidelium aqua coelesti. Et dicitur *segregata haereditate Dei*, quia gratia Spiritus s. datur solum fidelibus in ecclesia. *Et infirmata est, etc.*, illud et ponitur pro quia, ut sensus sit: *pluviam voluntariam, etc.*, quia *haereditas tua infirmata est*, iam dudum videlicet ob ignorantiam Dei, et invalescentes concupiscentias debilitata erat; sed tu per gratiam Spiritus s. tanquam per *pluviam* salutarem confirmasti et roborasti eam.

11. *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* In ea haereditate, id est ecclesia, quae irrigatur aqua coelesti, *habitabunt animalia tua*, id est, oves pascuae tuae, quas pascendas, regendasque suscipies: tu enim, *Deus, parasti* cibum videlicet *pauperi*, id est, egeno populo tuo, *in dulcedine tua*, id est, iuxta bonitatem et misericordiam tuam, quae dulcissima est miseris et egentibus.

12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, vir-*

tute multa. Declarat quis sit cibus, quem paravit Deus pauperi populo suo, ad dicit esse *verbum suum, Dominus dabit, etc.*, id est, efficiet Deus, ut qui annuntiant *verbum Dei*, quod est cibus animarum, abundant copia sermonis, *virtute multa.* Posset etiam per *multam virtutem* intelligi efficacia signorum, quibus Deus praedicationem Evangelii confirmabat.

13. *Rex virtutum dilecti dilecti; et speciei domus dividere spolia.* Sensus ex PP. expositione hic est: *Rex virtutum*, id est, rex multorum exercituum *dilecti dilecti*, id est, dilectissimi, Christi videlicet, dilectissimi Deo et hominibus, ipse dabit *speciei domus*, id est, ad *speciem* et decorem domus Dei, quae est ecclesia, *dividere spolia*, gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per *evangelizantes* apostolos. Adeoque *verbum dabit*, subintelligitur ex praecedente versu, ut hic sit integer sensus: *Dominus dabit verbum, etc.*, et ipse idem Dominus *rex virtutum dilectissimi dabit ad speciem domus dividere spolia.* Illud autem *dilectissimi* coniungitur cum nomine *virtutum, Rex virtutum*, id est, exercituum, qui exercitus sunt Christi Filii Dei *dilectissimi.* Est phrasis hebraica.

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri.* S. Augustinus, s. Hieronymus, Theodoretus et Euthymius, per *duos cleros* duo testamenta intelligenda esse scribunt (*clerus* significat sortem, possessionem, haereditatem, et iuxta s. Hieronymum terminum) quare ex variis huius obscurissimi versus expositionibus, hanc selegimus: *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, si vos, qui evangelizatis *verbum Domini, dormiatis*, id est, quiescatis in medio duorum testamentorum, novi et veteris, ac-

quiescentes videlicet veritati divinitus inspiratae prophetis et apostolis: tunc *pennae columbae*, id est, ecclesiae fides et mores, erunt *deargentatae*, etc., puritate sapientiae et *deauratae* fervore caritatis. Ita Bellarminus. Si haec expositio minus arrideat, videri potest idem Bellarminus fol. 474. Le Blanc, tom. 2, fol. 307. Tirinus, fol. 413, et alii.

15. *Dum discernit coelestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.*
 16. *Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?* 17. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Descripsit Propheta praedicatores per similitudinem *dormientium inter clericos*, et Ecclesiam per similitudinem *columbae deargentatae* et *deauratae*: nunc describit eosdem praedicatores per similitudinem regum, et Ecclesiam per similitudinem montis candidi propter nivem, et uberrimi propter abundantiam lactis. *Selmon* est mons in tribu Ephraim vicinus Iordani, nivibus in vertice cooperatus, sed in imo fertilis. *Dum discernit coelestis reges super eam*, id est, dum *coelestis*, sive ut in hebraeo est, *omnipotens* rex dividit ac segregat unicumque suum *reges super eam*, id est, Apostolos super Ecclesiam, per columbam antea designatam, *nive dealbabuntur in Selmon*, tunc populi multi *super nivem dealbabuntur in Selmon*, qui mons Ecclesiam significat. Qui *mons* est *mons Dei*, quia in Ecclesia habitat, et est *mons pinguis* ob abundantiam gratiae, et est etiam *mons coagulatus*, quia lac divinae gratiae non defluit, sed quasi coagulatum in ea semper manet. *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* q. d. Non est, quod existimetis, esse alios montes aequae pingues, atque hic *mons*: hic enim est unicus *mons*, in quo *beneplacitum est Deo habitare in eo*,

nec in eo habitabit ad tempus, sed inhabitabit in finem, id est, semper. Haec videntur dici adversus haereticos, qui alias Ecclesias erigere conantur.

18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.* 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.* 20. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* Nunc comparat descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem, cum ascensione Christi in coelum, ut inde mitteret in lege nova donum Spiritus s., unde tanta abundantia lactis, et tantus candor Ecclesiae advenit. *Currus*, quibus Deus vehitur, *decem millibus multiplex*, id est, multiplicati sunt in infinitum, quia hi currus sunt innumera *millia laetantium* Angelorum: *Dominus in eis vehi*, et inequitare visus est olim *in Sina, in monte sancto*, habetur cap. 33 Deuter. *Ascendisti in altum*, q. d. Dominus olim descendit in montem Sina cum multis millibus Angelorum; sed tu, Messias, *ascendisti in altum*, id est, in summum coelum, *cepisti captivitatem*, id est captivos Satanae, qui ab eo vel in limbo, vel in hoc mundo in carcere peccati detinebantur, velut praedam de manu eius rapuisti, et tecum in christianam libertatem, et in coelum abduxisti: *accepisti dona in hominibus*, id est, *accepisti a Patre dona* Spiritus s. pro hominibus a te redemptis, et ea *dona a Patre accepta dedisti hominibus*. Ita fere explicat s. Paulus Ephes. iv, v. 8. *Etenim non credentes*, etc. Illud *etenim* ponitur pro *etiam*, ut constat ex hebraeo, et versione s. Hieronymi. Itaque sensus est: *etiam eos cepisti captivos*, et pro iis *accepisti dona*, qui antea non credebant Dominum Deum inhabitare in *monte sancto*, id est, in Ecclesia Christianorum.

21. *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum*

iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. 22. Deus noster, Deus salvos faciendi: et Domini Domini exitus mortis. Iam agit gratias Deo. *Benedictus sit Dominus* per singulos dies (id enim ex hebraeo significat illud *die quotidie*). *Prosperum iter faciet nobis*, id est, benefaciet nobis omni die, quia non deseret nos in hoc itinere, quod facimus omni die, donec ad aeternitatis diem pervenerimus: *Deus salutarium nostrorum*, id est, prosperabit nobis iter Deus, qui est auctor totius nostrae salutis. *Deus noster, Deus salvos faciendi*, id est, salvationi omnium studens, inhians, illaborans, et eiusdem *Domini Dei* (ut est in hebraeo) sunt *exitus mortis*, id est, eductio et liberatio a morte: quia ipse claves habet vitae et mortis, Apocal. I, v. 18. Ita Euthymius, Tirinus, Bellarminus, etc.

23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Idem Deus, *confringet capita*, etc., id est, superbiam inimicorum suorum humiliabit, dum eos ad inferos damnabit. Idem aliis verbis repetit et declarat more suo: nam quod dixerat *capita*, nunc dicit *verticem capilli*, id est, cristas, sive superbiam confringet; quod dixerat, *inimicorum*, nunc dicit *perambulantium in delictis suis*, illi enim soli inimici Dei sunt, qui non ambulant in lege Domini, sed tempus vitae peccando consumunt.

24. *Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris: 25. Ut intingatur pectus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Q. d. Deus ita *confringet capita inimicorum suorum*, sicut olim *dixit* et fecit: *Ex Basan*, seu Basanitide, regno gigantis Og Amorrhaei, hostis hebraeorum saevissimi, *convertam*, id est, expellam, hostes tuos, et praecipitabo omnes in abyssum exitii,

quasi *in profundum maris*, ut Pharaoni feci. Ita s. Hilarius *Ut intingatur pes tuus*, q. d. tantam hostium tuorum stragem edam, ut tu, o popule meus, sanguine occisorum laves et operias pedes tuos: et etiam *lingua canum tuorum* tingatur *ab ipso* sanguine *ex inimicis* iugulatis profluente; id quod Iezabel contigit. Ita Bellarminus, Tirinus, Le Blanc et alii.

26. *Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei: regis mei qui est in sancto.* Explicata victoria et triumpho Christi de hostibus suis, docet Prophetas eos, qui testes fuerunt, coepisse illa toti mundo curia laetitia publicare. *Viderunt*, etc., id est, non desunt, qui viderint itinera tua, actiones tuas, etc. *Ingressus*, inquam, *tuos*, qui es *Deus meus et rex meus*, qui nunc es *in sanctuario tuo*, sive coelum sive Ecclesia sanctum habitaculum eius dicatur.

27. *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuencularum tympanistriarum.* Quando igitur viderunt *principes* Ecclesiarum Christi victoriam et triumphum, quo de potestate Satanae liberati sumus, *praevenerunt* ipsi alias gentes et populos, ut Christi laudes praedicarent et resonarent *coniuncti psallentibus* sanctis Angelis in coelo o eandem victoriam, *in medio iuencularum*, etc. id est, psallentibus Angelis in medio animarum sanctarum, quae cum Christo in coelum ascenderunt, quae dicuntur *iuenculae*, quoniam recent vitam beatam ducere, et cum Angelis Deo assistere eique psallere coeperunt. Ita Bellarminus.

28. *In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël.* Est quasi parenthesis, qua Prophetas praevidens futuram laetitiam principum ecclesiae hortatur eos, ut *in ecclesiis*, quas fundaturi erant pergant *benedicere Domino Deo, de fontibus Israël* materiam laudis haurientes. Vocat autem *fonte*

sraël promissiones Dei ad patriarchas et vaticinia prophetarum praedicientium ea quae nunc impleta esse videmus et gaudemus.

29. *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu.* 30. *Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.* Redit ad superiorem narrationem et explicationem, qui sint illi principes, de quibus dixit: *Praevenerunt principes: isti, inquit, sunt Benjamin, principes Iuda, principes Zabulon, etc.* Patres latini et graeci per haec nomina communiter intelligunt sanctos apostolos, qui constituti sunt a Deo principes super omnem terram. Ex illis ergo nonnulli erant ex tribu Benjamin, qui minimus inter fratres extitit: iique cum ceteris in exilium rapti tantum Ascensionis mysterium mirabantur. In illis quoque populi christiani ducibus, alii e tribu Iuda, alii e tribu Zabulon, alii e tribu Nephthali electi sunt. Ita Bellarminus et Le Blanc. Per illud: *Benjamin adolescentulus, etc.*, bene intelligitur apostolus Paulus, qui erat de tribu Benjamin, et qui novissimus fuit vocatione: et is *in mentis excessu*, ita coniunctus fuit psallentibus in coelo, ut nesciret an tunc in corpore esset, vel extra corpus, ut ipse testatur II. Cor. XII.

31. *Manda, Deus, virtuti tuae: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Propheta petit a Deo, ut potentiam suam, quam exercuit in superandis hostibus et constituenda ecclesia, semper exerceat confirmando, quod operatus est. *Manda, Deus, etc.*, id est, impera potentiae tuae, ut operi inchoato assistat, illudque conservet et augeat.

32. *A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent reges munera.* Id est, propter templum, sive propter sanctitatem templi tui, quod est in ecclesia, offerent tibi reges munera pretiosa ad ipsius templi

ornatum, et ad alendos templi ministros. De qua oblatione multa praedicat Isaias c. LX et LXVI.

33. *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Convertit nunc orationem ad hostes ecclesiae, et ait: *Increpa*, id est, exterre, coërce, reprime *feras arundinis*, id est, agrestes et barbaros ecclesiae hostes, qui similes sunt feris in arundinetis latentibus et strepitum cientibus, et sunt velut *congregatio taurorum*, id est, ferociunt quas tauri congregati, *in vaccis populorum*, id est, cum populis qui instar vaccarum, hebraice vitularum lasciviunt, salaces et dissoluti sunt. (Metaphora sumpta est a tauris, qui tum ferociores sunt, cum generationi inter armenta dant operam). *Ut excludant*, reiiciant, ad nihilum redigant praedicatores fidei, *qui probati sunt argento*, id est, instar argenti. Ita Theodoretus, Euthymius; Genebrardus, Tirinus, Bellarminus, Le Blanc, etc., Hieronymus *haereticos*, Hilarius, *daemones* hic intelligunt.

34. *Dissipa gentes, quae bella volunt: venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manus eius. Deo.* 35. *Regna terrae cantate Deo: psallite Domino. psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli, ad orientem.* Praedicat nunc victoriam adversus persecutores. *Dissipa gentes*, etc., id est, dissipabis omnes qui bella movent adversus populum tuum: et tunc *venient legati ex Aegypto* subiunctionem profitentes, et *Aethiopia*, quae longius est, *praeveniet manus eius Deo*, id est *praeveniet* apud Deum manus Aegypti offerentis munera, ut fecit eunuchus Candacis reginae aethiopum, Actorum VIII. Quia et reliqua omnia *regna terrae* subdent se Christo Deo, *qui ascendit super coelum coeli, ad orientem*, id est, qui posteaquam ascendit in altum, sedet in

summo coelo ad fontem lucis, unde oritur omne lumen.

36. *Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël, magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.* 37. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: Benedictus Deus.* Tandem describit etiam adventum Christi in die iudicii: diximus autem ab initio, hunc psalmum varia mysteria complecti. *Ecce, inquit, dabit voci suae vocem virtutis, id est, dabit tunc voci suae, ut sit vox potentissima et efficacissima, quod fiet quando omnes mortui audient vocem Filii Dei, et resurgent, etc. Date gloriam Deo super Israël, id est, glorificate Deum super beneficia in electos eius collata. Magnificentia eius, etc., quoniam magnificentia et potentia Dei manifestabitur maxima super Israël in nubibus coeli, quando videlicet electi rapiuntur in nubibus obviam Christo, etc. Quare exclamare licet: Mirabilis Deus in sanctis suis: tunc enim totus mundus intelliget, Deum in sanctis suis provehendis ab imo ad summum, plane admirabilem fuisse: nam Deus Israël tunc dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, cum electos suos vera immortalitate et impassibilitate donabit. Ita Bellarminus, iuxta mentem Hilarii, Augustini et Hieronymi. Graeci autem, Theodoretus, Euthymius et alii hos duos versus referunt ad missionem Spiritus S. quando post ascensionem Domini induti sunt apostoli virtute ex alto. Concludit denique propheta his verbis: Benedictus Deus: id enim sequitur ex praedictis in toto psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum eius misericordia et iustitia, potentia et sapientia ex tot mysteriis mirifice declarata sint.*

PSALMUS LXVIII.

Synopsis

Praedicitur passio Christi plane ad litteram, nec non e-versio Iudaeorum et aedificatio Ecclesiae, quae constat ex iis, qui feliciter commutabuntur de iniquitate ad iustitiam, et de miseria temporali ad gloriam aeternam. Psalmi titulus est: In finem, pro iis, qui commutabuntur David. Videatur explicatio Ps. XLIV.

1. *Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.* 2. *Infixus sum in limo profundi: et non est substantia.* 3. *Veni in altitudinem maris: et tempestas demersit me.* Describitur passio Christi per similitudinem demersionis in aquas lutulentas et profundissimas. *Salvum me fac, Deus*, salutem petit Salvator a Deo Patre, non salutem animae, quam utpote beatus, habebat, sed salutem corporis, eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, et contrarietatem appetitus naturalis ad mortem. *Quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*, id est, quoniam similis factus sum ei, qui proiectus in aquas incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia*, id est, similis factus sum, non solum homini praecipitato in aquas, sed in aquas lutosas et sine fundo, ut non liceat emergere neque subsistere. *Illud non est substantia*, significat et non est fundamentum sive fundus, ubi subsistit possit. *Veni in altitudinem maris*, id est, et demersus sum in mare magnum et profundissimum, ut aquarum immensa multitudo super me sit. *Et tempestas demersit me*, id est, quia tempestas vehementissima ventorum et fluctuum demersit me. In hac similitudine per multi-

tudinem aquarum intelliguntur poenae multae, quas Christus pertulit; per *limum profundum*, peccata totius humani generis, quae illum in poenis detinuerunt; per *tempestatem*, rabies et crudelitas iudaeorum, etc.

4. *Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Etiam haec similitudo est, et sensus est: Tanta fuit acerbitas et prolixitas doloris mei, quantum intelligimus esse in iis, qui usque ad raucedinem auxilium implorantes clamant, et quanta in illis esse solet, quorum oculi deficiunt aspiciendo in coelum, et expectando a Deo auxilium.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* 6. *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quae non rapui, tunc exsolvebam.* Explicat nunc propheta in persona Christi propriis verbis, quae dixerat per similitudines. Comparavit enim persecutores Christi multitudini aquarum, et tempestati violentae: nunc aperte dicit inimicos suos fuisse prope innumerabiles et violentissimos, et absque ulla causa ita exlitisse. Addit, *quae non rapui, tunc exsolvebam*, id est, rapinam pomi vetiti, et honoris divini, quem Adam et eius posterii rapere voluerunt, ego Christus exsolvi. Ita Ss. Hieronymus, Hilarius et pulcre Augustinus.

7. *Deus, tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita.* Dat causam, cur iniuste patiat, et *insipientiam suam* vocat insipientiam Adami, quam in se suscepit, et *delicta sua* vocat delicta eiusdem Adami et caeterorum hominum, quae portavit; ait ergo: *Deus, tu scis, quae sit insipientia mea, quae sint delicta mea*, id est, tu scis me pati propter insipientiam primi hominis et propter inobedientiam eiusdem, etc.

8. *Non erubescant in me, qui expectant te, Domine, Domine virtutum.* 9. *Non confundantur super me, qui quaerunt te, Deus Israël:* 10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.* Sollicitus pro membris suis orat, ut haec ipsius passio non sit scandalum fidelibus suis. *Non erubescant, etc.*, id est, occasione mei, mearumque calamitatum, alii qui expectant a te salutem: scilicet dum vident, me innocentem et te invocantem, a te tamen deseri. Ita Ss. Hieronymus et Theodoretus. Idem in sequenti versu repetit, et postremo rationem addit, cur id iuste petat; quoniam, inquit, quae passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum, et propter gloriam tuam ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, et alia id genus, quae verecundia, et rubore vultum in eum impleverunt.

11. *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.* 12. *Quoniam zelus domus tuae comedit me: et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Explicat propheta in persona Christi occasionem persecutionis iudaeorum. *Extraneus factus sum fratribus meis*, id est, tanquam extraneum me reputaverunt fratres mei iudaei, *et peregrinus filiis matris meae*, id est, tanquam hospes vel alienigena existimatus sum a *filiis matris meae* Synagogae, idque ideo, *quoniam zelus*, id est, fervor, et studium procurandae gloriae *domus tuae*, id est, templi et ecclesiae tuae, et indignatio ex eiusdem neglectu et profanatione, *comedit me*, id est, consumebat, urgebat, dolore afficiebat me, Matth. xxiii, Luc. xi, Ioan. ii. *Et opprobria exprobrantium tibi, etc.*, id est, haec tam sensi, tam aegre tuli, quam si recta in me contorta fuissent.

13. *Et operui in ieiunio animam meam: et fu-*

ctum est in opprobrium mihi. 14. Et posui vestimentum meum cilicium: et factus sum illis in parabolam. Id est, ut iram tuam in sceleratos averterem, ieiunio me affixi: illi vero in risum soluti, cavillis et scommatibus me appetiverunt: etiam exteriori vestitu, moerorem ob culpas in te, o Pater, admissas testatus sum: et illorum fabula, iocusque, omnium ludibrio patui. Ita Tirinus, Le Blanc et alii. Sed Bellarmino videntur hi duo versus ex s. Augustino spiritualiter exponendi esse, ut per *ieiunium* cum fletu et moerore, intelligamus esuriam et sitim ardentissimam salutis animarum, pro quibus angebatur et gemit: per *cilicium* vero intelligatur caro mortalis et passibilis, qua Verbum indutum mundo apparuit, etc.

15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: et in me psallebant, qui bibebant vinum.* Haec est quasi appendix ad ea, quae dicta sunt. Q. d. Accedit praeterea, quod *adversum me loquebantur, qui sedebant in porta*, id est, principes ac iudices in conciliis suis de interitu meo consultabant; iudicia enim, ut iam alias memoravimus, in portis civitatum exercebantur. *Et in me psallebant, qui bibebant vinum*, id est, non solum publice in consiliis, sed etiam privatim in aedibus tempore conviviorum, inter pocula de me garriebant et cantabant, ludentes et irridentes.

16. *Ego vero orationem meam ad te, Domine (supplendum est direxi), tempus beneplaciti, Deus.* Id est: Illi mihi insultabant, et opprobria in me iaciebant, ego vero *orationem* pro illis, et pro me tibi Deo Patri offerebam, dicens: *Tempus beneplaciti, Deus*, id est, iam advenit *tempus beneplaciti*, tempus a te definitum, ut complaceat tibi, mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare.

17. *In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae.* Pergit in oratione, ac petit, ut quandoquidem iam venit *tempus beneplaciti*, exaudiat orationem eius propter *multitudinem misericordiae*, ex qua motus est ad promittendam reconciliationem per passionem Filii sui, et propter veracitatem et fidelitatem *salutis*, quia Deus non minus pius et misericors est in promittenda, quam fidelis et iustus in praestanda *salute*, quam promisit.

18. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.* 19. *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.* Petit liberationem sub eadem metaphora aquarum, et luti, et tempestatis, de qua dixerat supra: ideo nunc petit, non *demergi*, id est, non detineri in illa immersione, quod declarat dicens, non ita *me absorbeat profundum*, ut nunquam emergam, et *non urgeat super me puteus os suum*, id est, non claudat *puteus*, in quem cecidi, *os suum*: nam dum patet *os putei*, spes est evadendi.

20. *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.* 21. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.* 22. *Intende animae meae, et libera eam: propter inimicos meos eripe me.* Multiplicat propheta verba orationis in persona Christi patientis, ut ostendat magnitudinem passionis. Proponit autem tres rationes, ob quas debet exaudiri: unam ex parte misericordiae Dei, alteram ex parte inimicorum persequentium. Vocat autem se *puerum* sive *servum*, quia formam servi induit. *Intende animae*

meae, id est, vitae meae ad extremum perductae, et libera eam per celerem resurrectionem, propter inimicos meos (est tertia ratio, de qua diximus), id est, eripe me a doloribus et a morte, resuscitans me in vitam immortalem, ut inimici mei vel confundantur, vel convertantur, quod factum fuisse legimus Actor. II.

23. *Tu scis improprium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.* 24. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: improprium expectavit cor meum et miseriam.* Vocat ipsum Deum in testem passionis suae, ac praecipue eius passionis, quae in ignominia consistit: *Tu scis improprium meum*, id est, quae impropria in me iaciant adversarii, et *confusionem*, quae nascitur ex opprobriis, et *reverentiam meam*, id est, verecundiam, quae ex confusione oriri solet. Ita ex hebraeo Hilarius, Augustinus et alii. *In conspectu tuo sunt omnes*, etc., id est: Sicut te non latet afflictio mea, ita te non latent, qui me affligunt: a quibus nihil expectare possum, nisi *improprium et miseriam*; sicut semper *expectavit cor meum*, multum antea, quam advenirent.

25. *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.* 26. *Et dederunt in escam meam fel; et in siti mea potaverunt me aceto.* Addit ad extremum in tantis passionibus suis non solum se nullum habuisse consolatorem et patientem, sed in fame fel sibi datum in escam, et in siti acetum in potum. Non defuerunt equidem, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt qui simul cum illo contristarentur, id est, ob eam causam, unde ipse tristabatur. Caeterum, quia non legitur in Scripturis de felle in escam dato, valde probabile est, escam illam fellis

intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quae Christo in passione ieiunanti loco cibi ingesta est.

27. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum.* 28. *Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.* 29. *Effunde super eos iram tuam: et furor irae tuae comprehendat eos,* 30. *Fiat habitatio eorum deserta: et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.* Iam praedicit propheta per modum imprecationis mala, quae eventura erant iudaeis ob ingratitude et crudelitatem in Messiam. Per mensam intelligunt PP. Scripturas, unde pascimur veritate divina, ait ergo: Illi mihi *dederunt fel in escam*, tu facies ut eorum *mensa et esca vertatur eis in laqueum*; haec *mensa coram iudaeis* est, quia assidue legunt Moysen et prophetas, sed facta est illis *in laqueum*, quia perperam intelligentes capiuntur *laqueo infidelitatis*; eadem facta est illis *in retributiones eorum*, quae sua impietate et crudelitate iuste promeriti sunt, *et in scandalum*, seu in offendiculum et ruinam. *Obscurentur oculi eorum* interiores, imo *velamen est super cor eorum.* 2. Cor. iii; et sicut depravatus est intellectus, depravatus est etiam eorum affectus, ut nihil appetant nisi terrena, quod significat illud: *dorsum eorum*, etc. Et haec plaga spiritualis descendit ab ira Dei, hinc subiungit: *Effunde*, id est, effundes *iram tuam*, etc., quod confirmatur 1. Thessal. ii. Ex hac ira Dei quoque processit plaga temporalis, quia expulsi de terra promissionis toto orbe exules et profugi vagantur. Unde ait: *Fiat habitatio eorum deserta*, etc.

Hic observandum est ex S. Augustino, verba haec non esse optantis, sed prophetantis poenas spirituales et corporales, quas in Iudaeis manifestissime cernimus.

31. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* 32. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: et non intrent in iustitiam tuam.* 33. *Deleantur de libro viventium: et cum iustis non scribantur.* Praedicat porro propheta, iudaeos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata eorum, quemadmodum ipsi addiderunt Christo poenas ad poenas et dolores ad dolores. *Quoniam quem tu percussisti*, mittens in mundum in similitudinem carnis peccati, fami, siti, frigori, aestui et aliis incommodis obnoxium, *persecuti sunt* calumniis, convitiis, falsis testimoniis, *et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, id est, *super dolorem*, quem capiebam ex consideratione innumerabilium peccatorum, quae quasi mea vulnera essent, curanda suscepi, *addiderunt dolorem* flagellorum, spinarum, clavorum, etc. *Appone iniquitatem* etc., id est, iusto tuo iudicio permitte, ut addant iniquitatem ad iniquitatem: nec illis gratiae ac iustitiae tuae thesauri pateant, quibus ditentur, et coelo digni evadant. *Deleantur de libro viventium*, etc., id est, ob tantum scelus ex libro vitae expungantur, neque referantur in salvandorum numerum. Ita s. Hilarius, s. Hieronymus, Bellarminus, Le Blanc, Tirinus et alii.

34. *Ego sum pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me.* In fine praedicat propheta gloriam Christi ac Ecclesiae aedificationem. Loquitur in persona ipsius Christi, ut supra etiam fecit. *Ego sum in cruce pauper et dolens*, nudus vestibus, coopertus plagis: *salus tua, Deus, suscepit me*, cum talis essem egens bonis, dives malis, salus tua me resuscitans a mortuis abstersit omnia mala, replevit omnibus bonis.

35. *Laudabo nomen Dei cum cunctico; et magni-*

ficabo eum in laude. Christus in forma hominis resuscitatus et glorificatus a Deo Patre gratias illi agit et aget in aeternum. *Nomen Dei*, id est, potentia Dei, *cum cantico*, id est, cum laetitia et gaudio.

36. *Et placebit* (supplendum *laus mea et canticum meum*) *Deo super vitulum novellum, cornua producentem et unguas.* Id est, sacrificium laudis a Christo exhibitum Deo multo est excellentius sacrificiis, quae in lege praestantissima habebantur; sacrificium enim omnium praestantissimum erat immolatio vituli iuvenis, incipientis cornua et unguas emittere.

37. *Videant pauperes, et laetentur: quaerite Deum, et vivet anima vestra.* Laudationi admiscet exhortationem *Videant*, id est, intelligant et considerent haec *pauperes et laetentur* in paupertate sua. *Quaerite Deum*, etc. O vos pauperes spiritu! qui terrena despicitis omnia, tanto onere levati, erigite animum, *quaerite Deum, et anima vestra*, quae ex rebus caducis vivere non potest, vere *vivet*.

38. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus; et victos suos non despexit.* Q. d. Dei enim tanta est benignitas, ut etiam pauperibus, et prostratis subsidio sit; sui causa in arctum compulsos, et in angustiis ad se clamantes exaudivit.

39. *Laudent illum (Deum) coeli et terra, mare et omnia reptilia in eis.* Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur.

40. *Quoniam Deus salvam faciet Sion; et aedificabuntur civitates Iuda.* Hic iam praedicitur aedificatio ecclesiae, quae passionem et resurrectionem Christi consecuta est. *Quoniam Deus salvam faciet Sion*, id est, ecclesiam suam primitivam ex Iudaeis collectam. *Et aedificabuntur civitates Iuda*, id est, propagabitur prima illa ecclesia, dum multi lapides

vivi accedent, et multae ecclesiae toto orbe aedificabuntur, quae dicuntur civitates Iudae, id est, confessionis; quia confessio verae fidei ecclesiam aedificat et propagat, Iuda enim *confessionem* significat.

41. *Et inhabitabunt ibi, et haereditate acquirant eam.* 42. *Et semen servorum eius possidebit eam, et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.* Hic praedicitur firmitas et beatitudo ecclesiae: nam civitates Iuda, id est, cives civitatum Iuda, sive fideles *habitabunt ibi*, id est, in Sion, *et haereditate acquirant eam*; omnes enim veri fideles adhaerent ecclesiae apostolicae, quae est *Sion*. *Et semen servorum eius*, etc., id est, istam *Sion* non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum et omnes, qui Dei amore inflammanur, in unius huius verae ecclesiae fide perstabunt, et pervenient ad coelestem *Sion*.

PSALMUS LXIX.

Synopsis

David sibi et piis omnibus implorat opem Dei, hostibus vero confusionem: vel potius est oratio Christi in cruce pendentis pro salute sua, id est, pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est corpus ipsius mysticum. Adeoque argumentum idem est cum argumento psalmi xxxix, cuius vi ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis versiculis huius psalmi. Titulus est: In finem, Psalmus David. In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

1. *Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina.* Hic versus in ecclesia celeberrimus est, inde enim incipiunt officia divina omnium horarum: quamvis autem praecipue conveniat Christo in cruce pendenti, potest tamen usurpari ab omnibus fidelibus in quovis periculo versantibus, et quoniam semper in multis magnisque periculis versamur, ideo expedit assidue hunc versiculum frequentare. Petitur hic auxilium Dei magnum, et velox ad avertendum malum grave et imminens: de priore dicit, *Deus, in adiutorium meum intende*, id est, incumbe diligenter in me iuvando, ut gravitas mali requirit: de posteriore dicit, *Domine, ad adiuvandum me festina*, id est, non solum diligenter incumbas in me iuvando, sed etiam velociter et nulla interposita mora, quoniam periculum imminet.

2. *Confundantur et reveantur, qui quaerunt animam meam.* 3. *Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala.* 4. *Avertantur statim erubescences, qui dicunt mihi: Euge, euge.* 5. *Exultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, ei*

dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum. 6. Ego vero egenus et pauper sum: Deus, adiuva me. 7. Adiutor meus et liberator meus es tu, Domine, ne moreris. Hi versus, ut diximus, iidem sunt cum sex ultimis versibus psalmi trigesimi noni, quare benevolam lectorem eo remittimus.

PSALMUS LXX.

Synopsis

David iam senex opem Dei implorat contra impios Achitopholem, Absalom caeterosque coniuratos. In gratiarum actionem pollicetur, se Dei potentiam, iustitiam, bonitatem ubique depraedicaturum.

Notandum est, hunc psalmum usurpatum fuisse a filiis Ionadab, id est, a Rechabitis et ab aliis qui in prima captivitate tempore Ioachim Regis Ierusalem (altera enim erat tempore Sedeciae) e terra sua migrarunt Babylonem. Hinc in Bibliis latinis (in Hebraeis et graecis non est) habetur hic titulus: *Psalmus David, filiorum Ionadab et priorum captivorum.*

1. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me et eripe me. 2. Inclina ad me aurem tuam, et salva me. 3. Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias: 4. Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu. Videatur psalmus trigesimus, qui idem habet principium, et in caeteris partibus cum eodem satis convenit.*

5. *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui. Descendit magis ad particularia, ac petit liberari de manu, id est, de potestate peccatoris, contra legem agentis et*

iniqui, quibus nominibus intelligit Absalom, Achitophelem et ministros eorum. Spiritualiter intelligere possumus diabolum, haereticos, tyrannos, persecutores.

6. *Quoniam tu es patientia mea, Domine; Domine, spes mea a iuventute mea.* 7. *In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meae tu es protector meus.* Sensus illius: *tu es patientia mea*, est iste: Tu es, a quo patienter opem expecto. *In te confirmatus sum*, etc. q. d. scio, Domine, et confiteor, me tibi curae fuisse ab ipso primo ortu: ideo fiduciam habeo, multo magis te mihi protectorem fore, cum te invocavero.

8. *In te cantatio mea semper* (supplendum est *versabitur*); *tanquam prodigium factus sum multis; et tu adiutor fortis.* Id est, quasi portentum, ut Hieronymus vertit, apparui hominibus, ob tot aernumnas, quibus affligor, et tamen salvus semper emergo, quia tu mihi *fortis et constans adiutor* es.

9. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam; tota die magnitudinem tuam.* Verum, inquit, quidquid homines de me sentiant et dicant, ego opto, ut os meum repleatur laude, etc., *tota die*, id est, omni tempore.

10. *Ne proicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Cum David persecutionem Absalom pateretur, iam senex erat; ideo dicit: *Ne proicias me*, etc., id est, ne deseras in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper adiuvisti, cum robur ac vires meae iam debilitatae sint, *ne derelinquas me*.

11. *Quia dixerunt inimici mei mihi (de me) et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.* 12. *Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum; quia non est, qui*

eripiat. Id est, inimici mei, et qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis illi simul inter se uniti consultaverunt de perditione mea, dicentes: Deus dereliquit eum. Ad hoc refertur illud, inimici mei dixerunt mihi, id est, de me, Deus dereliquit eum: et hoc dixerunt consultantes simul persequimini et comprehendite eum, etc.

13. *Deus, ne elongeris a me: Deus meus, in auxilium meum respice.* 14. *Confundantur et deficiant detrahentes animae meae: operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi.* Id est, te in auxilium meum festinante, *confundantur* consilarii Absalom et *deficiant* in consiliis suis, detrahentes animae meae, id est, calumniantes me, etc.

15. *Ego autem semper sperabo; et adiiciam super omnem laudem tuam.* 16. *Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.* Q. d. Illi *confundantur et deficiant, ego autem* magis et magis in te confidam, et semper *adiiciam* laudes ad laudes tuas: *os meum* non cessabit *annuntiare iustitiam tuam*, qua punis impios, et assidue praedicabo *salutare tuum* quo innocentes liberas et salvas.

17. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine, memorabor iustitiae tuae solius.* Sensus est: Non novi sapientiam huius mundi, non approbo astutiam et prudentiam saeculi; sed adhaerebo penitus omnipotentiae Dei, in illa confidam, et sic solam *iustitiam tuam*, qua impios punis, qua pios coronas, mente retinebo.

18. *Deus, docuisti me a iuventute mea; et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua; id est, dum vivam et semper pronuntiabo mirabilia tua, quae per me fecisti a iuventute mea.*

19. *Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me.* 20. *Donec annuntiem brachium tuum*

generationi omni quae ventura est. Id est, donec annuntiem fortitudinem tuam omni posteritati.

21. *Potentiam tuam et iustitiam tuam, Deus, usque in altissima quae fecisti magnalia: Deus, quis similis tibi?* Explicat, quid sit brachium, quod se annuntiaturum dixit posteritati, et ait: *Potentiam et iustitiam tuam*, id est, annuntiabo brachium tuum, quod est *potentia tua* coniuncta cum *iustitia tua*; haec autem potentia cum iustitia extenditur *usque in altissima magnalia*, quae Deus fecit, ut vere exclamare liceat: *Domine, quis similis tibi?*

22. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas; et conversus vivificasti me; et de abyssis terrae iterum reduxisti me.* 23. *Multiplicasti magnificentiam tuam; et conversus consolatus es me.* Consolatur David praesentem calamitatem suam ex eo, quod alias calamitates Deo iuvante feliciter evaserit: *ostendisti mihi tribulationes* magnas varietate et amaritudine, quas pertuli in persecutione Saulis: *et conversus vivificasti me*, cum pene ad portas mortis pervenissem, *et de abyssis terrae iterum reduxisti me*, id est, de extremis malis, cum pene ad inferos descendissem, liberasti me: *Multiplicasti enim magnificentiam tuam*, secundum multitudinem dolorum meorum, *et conversus ad misericordiam*, cum me paterne castigasses, *magnifice consolatus es me*, etc.

24. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israël. Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi; et anima mea, quam redemisti.* 26. *Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam; cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi.* In fine psalmi praedicat ipse sibi David liberationem de manu Absalom, et pollicetur gratiarum actionem


corde et ore et instrumentis musicis. *In vasis psalmi*, id est, in instrumento *psalmi* concinendi, quod psalterium vocatur, *Sanctus Israël*, est cognomen Dei. *Et anima mea, quam redemisti*, id est, vita mea, *quam redemisti* ab interitu, exultans laudabit te. *Cum confusi et reveriti fuerint*, etc., id est, quando *confusi* erubuerint omnes inimici mei, *qui quaerunt nocere mihi*.

4-1

V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.
Th. IOSEPH GHIRINGHELLO.







8111

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BS	Bellarmino, Roberto Francesco
1429	Romolo
B4	Psalterium Davidis cum
1880	brevi ac succincta paraphras
v.1	

